Secreta. Sacrificia tibi domine precibus immolanda deferimus: que ut corda nostra purificent te deprecamur: quatenus maiestati tue, quod a nobis faciendum est gratum efficiatur: et coniunctionis seu solutionis fedus tuo munere disponatur. Per dominum nostrum.

Postcommunio. Deus, qui femineo corpori de virili carne principium prestitisti: docens quod ex uno placuisset institui, nunquam licere disiungi: per hec sancta, que sumpsimus, te quesumus inuocantes exaudi: ut in his, que expetunt, gerendis: ita se, tua disponente gratia, gerant et agant: ut quos inspiratio sancta coniunxerit: homo sua temeritate non seperet. Per.

As given with additions in 58I. *See Appendix*, p. 319.

... *Pro deuota muliere:* 60I, 61.

Oratio. Adesto quesumus omnipotens deus famule tue de tua misericordia confidenti: eamque tua protectione custodi: ut a cunctis aduersitatibus liberata: gratia benedictionis eterne digna inueniatur. Per dominum.

Secreta. Hostias domine quas tibi pro famula tua offerimus propitius respice: et mens eius tue charitatis actionibus intenta: et a presentibus liberetur aduersis: et sempiternis misericordie perfrui mereatur gaudiis. Per.

Postcommunio. Proficiat quesumus domine ad salutem famule tue diuini celebratio sacramenti: ut presentem vitam sub tua protectione transcurrens: mereatur inuenire perpetuam: et desideratam, tua pietate percipiat. Per dominum nostrum Iesum.

21 – *Missa:* 58I, 60I, 61.

33 famulis et famulabus = fidelibus: 05.

35 euellantur = uellantur: 30, 40.

Page 471.

1 – *Missa:* 58I, 60I, 61.

12 felicitatis = beatudinis: *all.*

18 – *Missa:* 30, 40, 60I, 61.

20 – in: 08.

31 *Read:* nos domine: 05, 09, 30, 40, 43, 58L, 60I, 60S, 61.
– nos: 58I.

Page 472.

line.

2 proficiant = perficiant : 58L.

6 – et : 93.

8 *Read : temptationes :* 81, 93, 08, 30, 40. … *tempestates :* 85, 16. …*Missa ad tempestates repellendas :* 05, 09, 43, 58L, 60I, 60S, 61. – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61.

22 *Missa* = *Oratio :* 30, 40.

Page 473.

9 *Defunctis* + *Generalis :* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

34 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Paganos* + *pro recuperatione terre sancte :* 58I.

38 christianorum *read :* ut terram quam unigenitus tuus, proprio sanguine consecrauit de manibus inimicorum crucis eripi facias : ac eam in christiana religione, tuo nomini seruire concedas et gentes etc. : 58I.

Page 474.

9 – *Missa :* 40, 60I, 61.

13 *Read :* tue ab eo flagella : 05, 09, 43, 58L, 60I, 60S, 61.

22 *Read : Pro Quacunque tribulatione :* 58I. *Missa* = *Oratio :* 60I, 61.

32 iram + tue : *all.*

Page 475.

1 – Missa : 58I, 60I, 61.

15 nostro + N. : 58I.

17 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61.

19 tuus + N. : 16.

26 nostro + N. : 16.

31 – N. : *all except* 05, 16.

33 istius = ipsius : 16, 30, 40.

35 – Missa : 30, 40, 60I, 61. *Pro* = *Contra : all.*

Page 476.

8 – *Missa :* 30, 40, 60I, 61. *Read : Pro tribulationibus, litibus ac nimiis pressuris :* 58I.

21 hec = hanc : *all.*

32 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61.

36 dederis + et : 58I.

Page 477.

7 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61.

17 – domine : 08.

line.

20 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. postulandam + sanctam: 05, 09, 43, 58L, 60I, 60S, 61.

24 *After* nostra *read:* inspirante te tota mente amemus etc.: *all except* 05.

34 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Read:* Spem Fidem etc.: 81, 85, 93, 05, 08, 16.

Page 478.

4 Emitte = Mitte: *all except* 05.

11 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.

29 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.

32 inuiolabilem + tue: *all.*

Page 479.

5 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.

9 pertulit = protulit: 05. recolere = colere: 58I.

16 sumentes = que sumpsimus: 30. amissam = amissa: 85, 93.

18 impartiantur = impartiant: 81, 85, 93, 05, 08, 09, 16, 30, 40, 58L. ...impertiant: 43, 58I, 60I, 60S, 61.

20 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.

35 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. Confitente + peccata sua: *all.*

Page 480.

5 N. + et: *all except* 58I.

10 emendare = emendari: 05, 09, 30, 40, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

14 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Inimicis + qui se odio persequuntur:* 58I.

23 delictorum = peccatorum: 58I, 58L.

25 exuat = eruat: 58I, 60I, 61.

27 – *Missa:* 30, 40, 60I, 61. *Read: Pro benefactoribus siue pro facientibus nobis eleemosynas:* 58I.

31 operibus = opibus: 09.

32 recipiant = recipias: 85, 93.

38 censeantur = computentur: 30.

Page 481.

7 – *Missa:* 30, 40. *incarcerato = in captiuitate posito:* 05, 09, 43, 58L, 60S.

Read: Pro amico in carcere seu in captiuitate posito: 58I, 60I, 61.

10 captione = captiuitate: 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

11 ipsius + Petri: 58I.

18 – N.: *all.*

20 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.

28 *Read:* quesumus domine: 43, 58L, 60I, 61.

For this Mass otherwise given see Appendix, p. 363.

Page 482.

line.

1 – *Missa:* 30, 40, 60I, 61. *Read: Pro fame et peste propulsanda et pro sterilitate terre:* 58I.

15 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.

18 suppliciter = supplices : 30, 40.

23 impende = intende : 30.

29 – *Missa:* 30, 40, 60I, 61. *Hominum* + *seu temporis pestis:* 60I, 61. *For* 58I, *see additional* Votive Masses *Appendix.*

33 existit = extiterit : 30. *Read:* tue flagella ab eo etc. : 30. *As given in* 58I, *see Appendix.* ℟.

Page 483.

+ *Pro febricitante. Oratio sancti Sigismundi:* 58I.

Oratio. Omnipotens et misericors deus: qui subuenis in periculis laborantibus, et temperas flagella: inclina tuas aures benignus ad nostre humilitatis preces: et hunc famulum tuum N. qui *quotidiani* vel *tertiani*, vel *quartani* typi fatigatione vexatur: sancti martyris tui Sigismundi regis supplicationibus, ab omni ardore febrium liberare digneris: ut dum nobis illius patefacis merita: presenti egroto conferas medicinam. Per dominum.

Secreta. Offerimus tibi domine munera et vota ad honorem electi martyris tui Sigismundi pro presenti egroto N. *quotidiano* vel *tertiano* vel *quartano* typo laborat: ut ab eo omnes ardores febrium repelli iubeas: et tuo semper in omnibus muniatur auxilio. Per.

Postcommunio. Hec sancta mysteria nos domine semper gubernent: et a famulo tuo N. qui *quotidiano*, vel *tertiano*, vel *quartano* typo vexatur: per intercessionem beati Sigismundi martyris tui, febrium ardorem repelli iubeas: ut tuo semper in omnibus muniatur auxilio. Per dominum.

+ *Missa pro infirmis:* 58I, cf. 58L. 05. [*See above*, Vol. I. *p.* 462.]

Introitus. Exaudi deus orationem meam: et ne despexeris deprecationem meam: intende in me et exaudi me. *ps.* Contristatus sum in exercitatione mea et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris. ℣. Gloria.

Pro pluribus. Oratio. Omnipotens sempiterne deus, salus eterna etc. [*See above*, Vol. I. p. 462.]

Pro uno.: Alia oratio.

Omnipotens sempiterne deus ... pro famulo tuo N. ... actiones. Per dominum. [*See above*, Vol. I. *p.* 462.]

Lectio epistole beati Iacobi apostoli.: [C. 5. 13–16].

Fratres: Tristatur aliquis ... ut saluemini.

Graduale. Miserere mei domine quoniam infirmus sum: sana

line.

me domine. ℣. Conturbata sunt omnia ossa mea: et anima mea turbata est valde. ℣. Halleluia, halleluia. Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat. halleluia.

Sequentia sancti euangelii secundum Mattheum. [C. 8. 5–13].

In illo tempore: Cum introisset Iesus ... in illa hora.

Offertorium. Exaudi deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende in me et exaudi me.

Pro pluribus. Secreta. Deus sub cuius nutibus vite nostre momenta decurrunt etc. [*See above*, Vol. I. p. 462.]

Pro vno. Alia secreta. Deus sub cuius nutibus. [*As above.*]

Communio. Illumina faciem tuam super seruum tuum: et saluum me fac in tua misericordia: domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Pro pluribus. Postcommunio. Deus infirmitatis humane etc. [*See above*, Vol. I. p. 462.]

Pro uno. Alia postcommunio. Deus ... super infirmum famulum tuum ...adiutus ... mereatur. Per. [*As above.*]

6 – *Missa:* 30, 40, 60I, 61. *Morti* + *vel in agonia posito.:* 58I.

Introitus: 58I. Circumdederunt me gemitus mortis: dolores inferni circumdederunt me: et in tribulatione mea inuocaui dominum: et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. *ps.* Diligam te domine fortitudo mea: dominus firmamentum meum et refugium meum: et liberator meus. ℣. Gloria patri.

11 – N. *all.*

16 + *Lectio Esaie prophete.* C. 1. [lv. 6–8.]: 58I.

In diebus illis. Locutus est ... Querite dominum ... dicit dominus.

Graduale.: 58I. Adiutor in opportunitatibus in tribulatione: sperent in te qui nouerunt te: quoniam non derelinquis querentes te domine. ℣. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in eternum: exurge domine non preualeat homo. ℣. Halleluia, halleluia. Ne derelinquas me, neque despicias me deus salutaris meus. halleluia. ℣. Halleluia, halleluia. Ne perdas cum impiis deus animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam, halleluia. *A Septuagesima vsque ad pascha.:* 58I.

Tractus. Domine, non secundum peccata nostra que fecimus nos: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. ℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordie tue: quia pauperes facti sumus nimis. ℣. Adiuua nos deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui domine libera nos: et propitius esto peccatis nostris: propter nomen tuum.

Sequentia sancti euangelii secundum Ioannem. C. 16 [20]: 58I.

In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis. Amen ... gaudium.

Offertorium: 58I. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: conuertere domine, et eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

line.

19 – N. : *all.*

23 hoc quod = hec que. : 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

25 + *Communio.* In manus tuas domine commendo spiritum meum : redemisti me domine deus veritatis.

32 + *Obseruanda in missis defunctorum. Sciendum, quod in missa pro defunctis ad introitum non dicitur* Gloria patri *neque* Gloria in excelsis deo + *neque* halleluia. *neque debet intermisceri oratio pro viuis.* (*Et cum de sancto celebratur missa : commemoratio defunctorum non debet esse ultima :* 58I, 58L.) *: neque incensum circa altare adhibetur : neque* Iube domine benedicere *dicitur : neque benedictio ante euangelium petitur, neque eo dicto osculatur textus : neque dicitur* Credo. *nec etiam aqua calici imponenda pro sacrificio benedicitur.* Agnus dei. *specialia habentur. Oratio.* Domine Iesu Christe qui dixisti apostolis *etc. non dicitur : Pax non datur : neque missa finita dicitur.* Ite missa est : *nec* benedicamus domino : *Sed* Requiescant in pace : *et sequitur* (*et statim :* 60I, 61). Placeat tibi sancta Trinitas. *Ad benedicendum populum* (*Et benedicendo populum :* 60I, 61) *dicitur.* Deus vita viuorum : et resurrectio mortuorum, benedicat vos in secula seculorum : Amen.

(*Hec omnia scribit Ioannes Burchardus Argentinensis decretorum doctor, et sedis apostolice prothonotarius, et magister ceremoniarum capelle sanctissimi domini nostri Pape : in Rationale diuinorum officiorum* : 58I, 58L.)

Preterea quando defunctus est presens dicitur hec Oratio. Deus cui proprium est *etc. et hec epistola videlicet :* (Fratres : 58I, 58L) nolumus vos ignorare. *Et hoc euangelium* Dixit martha ad Iesum. *Vel istud* (+ *aliud :* 58I, 58L) Omne quod dat mihi pater.

In die vero animarum (*commemorationis omnium fidelium defunctorum :* 60I, 61) *dicitur oratio :* Fidelium deus omnium conditor. *et* (+ *alia oratio* : 58I, 58L) *pro sacerdotibus et episcopis defunctis.* Deus qui inter apostolicos. *Et alia pro his qui in cemeterio sunt* (*videlicet :* 58I 58L). Deus cuius miseratione. *In aliis vero missis quotidianis defunctorum, seruetur ut libet, circa orationes, epistolas, et euangelia : licet signatum sit.* (*signata sint :* 60I, 61.)

(*Animaduertendum insuper est quod quando de sancto missa celebratur, collecta, seu commemoratio defunctorum non debet esse ultima sed penultima :* 60I, 61) 58I, 58L, 60I, 61.

33 – *Missa :* 30, 40. *Mortuorum* = *Pro mortuis. all.*

34 *Introitus* = *Officium.* : 30, 40.

37 *V* ... repetitur = *Iterum.* Requiem eternam : 58I.

38 *Read : non dicitur* Gloria patri : 30, 40. *repetitur* + Requiem *au.*

Page 484.

line.

2 miserere = misereri. *all.*

8 + *Sequens epistola dicitur pro omnibus defunctis in die animarum :* 58I.
... *in die commemorationis omnium fidelium defunctorum :* 60I, 61.

9 *Prefix : epistola :* 81, 85, 93, 08, 09, 16. ...*Lectio epistole beati pauli apostoli :* 05, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

20 + *Pro presenti defuncto :* 58I. ... *Pro defuncto presenti :* 60I, 61.

21 *Prefix : Epistola :* 81, 85, 93, 08, 09, 16. ... *Lectio epistole beati pauli apostoli :* 05, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

27 *Read :* preueniemus : *all.*

33 + *In anniuersario. :* 58I. ... *In anniuersario defunctorum :* 60I, 61.

Page 485.

1 *Prefix : In quotidianis missis defunctorum, siue pro uno, siue pro pluribus :* 58I, 60I, 61.
Lectio + *libri : all.*

3 Amodo + enim *:* 85, 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

8 + *Oratio siue sequentia ad beatam mariam pro defunctis. :* 30, 40.
Languentibus in purgatorio. Qui purgantur ardore nimio. Et torquentur graui supplicio. Subueniat tua compassio. O Maria. Fons es patens que culpas abluis. Omnes sanas et nullum respuis. Manum tuam extende mortuis. Qui sub penis languent continuis. O Maria. Ad te pia suspirant mortui. Cupientes de penis erui. Et adesse tuo conspectui. Et gaudiis eternis perfrui. O Maria. Clauis dauid que celum aperis. Nunc beata succurre miseris. Qui tormentis torquentur asperis. Educ eos de domo carceris. O Maria. Lex iustorum norma credentium. Uera salus in te sperantium. Pro defunctis sit tibi studium. Assidue orare filium. O Maria. Benedicta per tua merita. Te rogamus mortuos suscita. Et dimittens eorum debita. Ad requiem sis eis semita. O Maria.

12 + *Sequentia.* Dies ire dies illa etc. *Quere in fine Missalis. :* 85, 93.
... Dies ire ... dona eis requiem. Amen : 05, 08, 09, 16, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.
Alia sequentia mortuorum. : 43.
Homo natus in hoc mundo Parum viuis in profundo Uerteris miserie.
Vt flos exis, sectus ares, Primum fulges, post non pares Debilis materie.
Vile semen in ingressu Uas immundum in progressu, Vermis cibus in egressu.
Quid superbis terra cinis ? Sordes ecce plagis trinis : Recordare semper finis.

line.

Ergo comple iussa dei : Sic post mortem iunctus ei Celo viues permansurus.
Hic quod seris illic metes : Dum tribunal christi petes De talento responsurus.
Iesu sator et creator, Finis rerum, lumen verum, Uita defunctorum.
Ipsis lucem sempiternam Confer clemens et eternam, Requiem laborum. Amen.

13 *Prefix : Pro presente defuncto :* 58I, 60I, 61. ... *Sequentia sancti euangelii :* 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

24 *Prefix : In anniuersario :* 58I, 60I, 61 ... *Sequentia sancti euangelii :* 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

35 *Prefix : In die animarum :* 58I. ... *In die commemorationis omnium fidelium defunctorum. :* 60I, 61. ... *Sequentia sancti euangelii :* 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

Page 486.

1 *Read :* audient vocem filii dei : *all.*

4 *Prefix : In quotidianis missis defunctorum :* 58I, 58L....*In die anniuersarii :* 60I, 61.
... *Sequentia sancti euangelii :* 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

25 – N. : 58I.

26 quo = qua : 30, 40.

36 + *Post* Dominus vobiscum *dicitur* Requiescant in pace. *Benedictio.* Deus vita viuorum. : 58I, 58L.

37 – *Missa :* 30, 40, 58I. *tertio* + *et* : 43, 58L, 60I, 60S, 61.

39 tui + N : 60S.

Page 487.

9 – *Alia : all except* 58I, *which omits Missa.*

11 cuius = cui : *all except* 43, *which omits cuius.*

12 – *uel :* 58I, *which also omits uel in lines* 19, 24.

27 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Read : Defuncto episcopo : all.*

33 tui + N. : 60S.

37 deus + ut : *all.*

38 tui + N. : 60S.

Page 488.

1 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61. *After Pro read : defunctis episcopis seu sacerdotibus : all.*

5 aggregentur = aggregemus : 85, 93.

8 *Read :* quesumus domini : 58I, 60S.

10 quas = quibus : *all.*

14 prosit = presta : 09, 58I.

17 + *Missa pro uno sacerdote defuncto :* 58L.
Oratio. Presta...anima famuli tui sacerdotis quem...commorantem...exultet. Per.

line.

Secreta. Suscipe...anima famuli tui sacerdotis...ut cui. Per.

Postcommunio. Presta...anima† famuli tui sacerdotis...consortem. Per.

...*Oratio.* Da nobis quesumus domine, ut animam famuli tui sacerdotis, quam de huius seculi eduxisti laborioso certamine, sanctorum tuorum cetibus tribuas esse consortem. Per.

Secreta. Annue nobis domine, ut anime famuli tui sacerdotis, hec prosit oblatio: quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per dominum.

Postcommunio. His sacrificiis, quesumus domine deus, purgata anima famuli tui sacerdotis: ad indulgentiam et refrigerium sempiternum, te miserante, peruenire mereatur. Per: 60I, 61.

18 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Sacerdotibus* + *Defunctis: all except* 58L, *which reads: pro pluribus sacerdotibus defunctis.*

31 + *Pro uno sacerdote defuncto ut supra:* 58I.

Oratio de sancto Gregorio pro eius missis dicendis, que sunt xxx.: 58I, 58L.

Omnipotens sempiterne deus: qui nos beati Gregorii confessoris tui atque pontificis, commemoratione letificas: concede propitius: ut qui eius precibus et meritis defunctorum animas, a suppliciis misericorditer liberasti: libera quesumus eiusdem piis suffragiis: animam famuli tui N. (+ *vel famule tue:* 58L) a penis grauissimis: ereptamque celestium bonorum facias esse consortem. Per dominum.

Secreta. Hostias tibi domine beati Gregorii confessoris tui atque pontificis meritis dicatas, benignus assume: et ad perpetuum anime famuli tui N. (+ vel famule tue: 58L) tribue peruenire subsidium. Per.

Postcommunio. Refecti participatione muneris sacri: quesumus domine deus noster: ut per intercessionem sancti pontificis tui Gregorii: anima famuli tui N. (+ vel famule tue: 58L) pro qua tuam deprecamur clementiam: penis omnibus segregata: sue salutis sentiat effectum. Per dominum.

+ *Missa sancti Gregorii pro defuncta:* 58I.

Beati Gregorii confessoris tui, quesumus domine, intercessione nos protege: et animam famule tue: sanctorum tuorum iunge consortiis. Per.

Secreta. Suscipe quesumus domine hostias placationis et laudis: quas in honore beati Gregorii confessoris tui, nomini tuo consecrandas deferimus: et pro requie famule tue suppliciter immolamus. Per.

Postcommunio. Ascendant ad te domine preces nostre: et anima famule tue gaudia eterna suscipiat: ut quam fecisti adoptionis tue participem: iubeas et hereditatis tue esse consortem. Per.

... *Pro uiuis beati Gregorii:* 58I.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus: cuius spiritu regimur:

line.

cuius protectione seruamur: inclina aures tue pietatis precibus nostris: ut qui auxilium tue miserationis implorant: intercedente beato pontifice tuo Gregorio: que fideliter postulant: efficaciter assequi mereantur. Per.

Secreta. Deus, qui es mirabilis in operibus: iustus in iudiciis: largus in donis: multiplica super nos gratiam tuam: et intercedente pro nobis beato pontifice tuo Gregorio: quicquid precipis ut agamus, ipse adiuta† : ut implere possimus. Per dominum.

Postcommunio. Afflictionem famule tue quesumus domine intercedente beato pontifice tuo Gregorio placatus intende: ut indulta sibi venia delictorum suorum: semper in tuis delitiis iucundetur. Per dominum.

32 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.
34 – domine: 05.

Page 489.

6 tui + N.: 60S.
15 *Read:* quesumus domine: 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.
17 extitit = existit: 05, 58I, 60I, 60S, 61.
21 misericordie = gratie: 30, 40.
23 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.
26 Fratres + sorores: 05, 16.
33 Fratrum + sororum: 05, 16.

Page 490.

3 fratrum + sororum: 05, 16.
7 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.
12 absoluti = absolute: 58I, 60I, 61.
14 – N.: *all.*
18 mereamur = mereantur: *all.*
24 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Anniuersario* + *plurimorum defunctorum:* 58I, 60I, 61.
28 commemorationis = commemoramus: *all.*

Page 491.

6 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61.
18 *Read:* domine participatio: 08, 16, 30, 40.
21 – *Missa:* 30, 40, 58I, 60I, 61. *Omnibus* = *pluribus:* 05.

Page 492.

1 *Read: Missa generalis pro* (*omnibus:* 05) *fidelibus defunctis:* 81, 85, 93, 05, 08, 09, 16, 43, 58L, 60S.
... *Oratio* etc.: 30, 40, 58I, 60I, 61.
17 Read: *Missa pluralis pro defunctis:* 81, 85, 93, 08, 09, 16, 43, 58L, 60S.

line.

... *pro pluribus defunctis :* 05.

... *Oratio pluralis* etc. : 30, 40, 60I, 61....*Alia pluralis* etc. : 58I.

32 *Read : Alia Missa ut supra :* 81, 85, 93, 08, 09, 16, 30, 40, 43, 58L, 60S.

... ...*pro pluribus defunctis :* 05. ... *Alia pro sepultis apud nos :* 58I.

... *Alia pluralis ut supra :* 60I, 61.

35 tuarum + quorum corpora hic tumulata requiescunt : 58I.

Page 493.

3 tuarum + quorum hic membra iacent : 58I.

8 tuarum + quorum hic in sepulchris collocata sunt ossa : 58I. parte = partem : 85, 93, 05, 08, 16, 30.

10 *Read : Alia missa pro pluribus defunctis :* 05.

... ...*pro pluribus :* 58I. ... *Alia pluralis ut supra :* 60I, 61.

16 *Read :* domine quesumus : *all except* 58I.

24 *Read : Missa pro defunctis :* 85, 93, 08. ... *defunctis nuper baptizatis :* 16, 60S. – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61. ... ... *defuncto + et nouiter :* 30, 40.

30 gaudiorum + Per in unitate eiusdem : *all.*

37 quem = quam : 08, 16, 30, 40. finem = fine : 85, 93, 05, 08, 09, 30, 40, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

Page 494.

1 – *Missa :* 30, 40, 58I. – *Oratio :* 81, 85, 93, 05, 08, 16, 30, 40.

Read : Pro eo qui desiderauit penitentiam : 60, 61.

2 – *lines* 2 ... 6 : 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

7 *Read :* Cuius potestate consistit humana conditio : 58L.

12 *Read :* quesumus domine : 58L, 60I, 61.

21 – *Missa :* 30, 40, 58I, 60I, 61.

32 pro pia = propria : 05, 09, 43, 60S.

37 deuote = deuota : *all.*

38 – et : 08, 30, 40.

Page 495.

Note.—From here to the end 81 *only has been collated : the additions in the other missals are given in the Appendix.*

5 ut = et : 81.

7 ut = et : 81.

Page 496.

9 omnipotensque = omnesque : 81.

15 peccatoribus *read :* et penitentibus hoc indumento vestitis

line.

misericordiam et veniam tribuisti oramus clementiam tuam ut indumentum quod vocatur cilitium bene✠dicere sancti✠ficare digneris ut quicunque ex eo pro peccatis etc. : 81.

24 septiformi = septiformis : 81.

33 propitiationis = bene✠dictione sanctificetur ad etc. : 81.

39 filii = fili : 81.

Pages 497, 498, 499.

+ Appendix. See below, page 301. *Alia missa transfigurationis domini* etc. See above, vol. ii, p. 220.

Page 500.

Note.—Pages 500, 501, 502 *are wanting in* 30, 40.

1 *After habitum read : in honore alicuius sancti : ut sancti Nicolai de tollentino : vel Augustini : vel sancii Monice : vel sancti Francisci : vel alicuius alterius pro aliquo voto usque ad tempus :* 05.

...pro read aliquo : 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

2 – *siue deuotione :* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

9 – *Oremus : all.*

11 *Read :* Nostra salute : 85, 08, 16, 58I, 60S. naturam + et : 09. te = de : 05.

14 *Read :* cum omni deuotione : 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

16 suscepturus + vel susceptura : 05, 58L, 60S.

17 eum + in eam : 58L, 60S.

19 eum + vel super eam : 58L, 60S. que = et : 09, 43, 58I.

20 illum + vel illam : 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

22 *aspergat = aspergantur :* 05. *After uestimenta read : et illa adoleat* etc. *:* 05.

Read : Deinde aspergantur uestimenta et illa adoleantur incenso : 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

25 – *Antiphona : all.*

27 susciperes = suscepisti : 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

35 sanctus = sanctorum : *all.* amorem = habitum : 05.

38 *Postmodum = Postea :* 43, 58I, 60I, 61. – *uel eam :* 05, 09, 43, 58I, 60I, 60S, 61.

Page 501.

2 *Read :* te-dominus : 05, 08, 16, 58L.

17 – *uel puellam :* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61. – *uel eam :* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

18 *dicendo + Antiphonam :* 05, 09, 43. 58I, 58L, 60I, 60S, 61. – *hoc :* 85, 93, 05, 08, 09, 16, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

21 eum + vel eam : 05, 58L, 60S.

22 – *vel illam :* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

line.

25 After *puellam* read*: post annum cum portauerit:* 81, 85, 93, 08, 16.

... *puerum* read *post annum cum portauerit habitum pro uoto:* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

33 – *Oremus: all except* 81.

39 – *siue puelle:* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

44 *illum* + *vel illam:* 16.

Page 502.

3 gentes + *totum:* 81, 85, 93, 08, 16.

14 *Read: Postea benedicat circumstantes dicendo:* 05, 09, 43, 58I, 58L, 60I, 60S, 61.

16 *Various additions are given in the Appendix.*

Addendum to p. 241.

(Lesson for St. Jerome's day.)

Lectio libri sapientie. Ca. l. [a cento from Ecclesiasticus, capp. l. xlviii. xlii. &c.]

Ecce confessor magnus qui in vita sua suffulsit domum: et in diebus suis corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est: duplex edificatio: et excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum: et quasi mare adimpleti sunt supra modum. Hic curauit gentem suam et liberauit eam a perditione. Hic preualuit amplificare ciuitatem: et adeptus est gloriam in conuersione gentis: et in ingressum domus: et atrii amplificauit. Ostendit ei deus futura: et abscondita antequam euenirent: et fecit eum enarrare mirabilia eius. Cognouit enim omnem scientiam: et inspexit omnem sapientiam: annuncians que preterierunt: et que superuentura sunt. Quasi stella matutina in medio nebule: et quasi luna plena in diebus suis lucet: et quasi sol refulgens: sic iste refulsit in templo dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas glorie: et quasi flos rosarum in diebus vernis. Quasi lilia: que sunt in transitu aque: et quasi thus redolens in diebus estatis. Quasi ignis effulgens: et thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide precioso. Quasi oliua pullulans: et quasi cypressus in altitudine se extollens. Corona est fratrum: et lumen splendor: et decus omnis ecclesie dei. In cuius splendore ambulant gentes in fortitudine vsque ad montem domini. Quasi plantatio cedri in monte libani dedit gloriam deo: et in labiis suis non operatus est mendatium: sed a doctrina lingue sue glorificatus. Doctrina omnis sui non destruetur: et sermo labiorum suorum permanebit in seculum seculi. In vita sua fecit monstra: et in morte sua mirabilia magna operatus est.

APPENDIX.

[BENEDICTIONES.]

[From 85. See also 93. 05. 08. 09. 43. 58I. 58L. 60S. 61.]

Benedictio agni in pasca.

℣. Adiutorium nostrum. ℟. Qui fecit celum et terram. ℣. Dominus uobiscum. ℟. Et cum. *Et dicatur ante omnes benedictiones.*

Oratio. Deus qui famulum tuum moysen in liberatione populi tui de egypto agnum occidi iussisti in similitudinem domini nostri ihesu christi et vtrosque postes domorum de sanguine huius agni perungi precepisti : ita bene✠dicere : et sancti✠ficare digneris hanc creaturam carnis quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus per resurrectionem domini nostri iesu christi. qui tecum viuit et regnat.

Benedictio carnium ouium uel auium.

Dignare domine deus omnipotens benedicere et sancti✠ficare has ouium siue auium carnes ut quicunque ex populis tuis fideliter de eis commederint omni benedictione cum gratia saturati repleantur bonis. Qui tecum viuit et regnat in uni[tate].

Benedictio casei et ouorum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini *ut supra.*

Oratio. Deus creator et conseruator generis humani dator gratie spiritualis: largitor eterne salutis : domine effunde bene✠dictionem tuam super hanc creaturam casei : et ouorum : vt armata celesti defensione quicunque ex eis gustauerint sibi proficiat ad eternam salutem. per dominum.

Benedictio panis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini. ℟. Qui fecit *vt supra.*

Oratio. Domine sancte pater omnipotens eterne deus bene✠dicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione : vt sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis : atque contra omnes morbos et vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per dominum nostrum ihesum christum filium tuum panem qui de celo descendit : et dat vitam et salutem mundo : et tecum viuit et regnat deus. per omnia. ℟. Amen.

Benedictio loci vel domus.

Oratio. Bene✠dic domine deus omnipotens locum istum vel domum istam : vt sit in eo vel in ea sanitas castitas. victoria. virtus.

humilitas. bonitas et mansuetudo: plenitudo legis: et gratiarum actio deo patri: et filio. et spiritui sancto: et hec benedictio maneat super hunc locum: vel super hanc domum et super habitantes in eo uel in ea. per christum dominum nostrum.

Benedictio ad quecunque volueris.

Oratio. Bene✠dic domine creaturam istam. N. vel N. vt sit remedium salutare generi humano. et presta per inuocationem tui sancti nominis: vt quicunque ex ea sumpserit uel gustauerit: corporis sanitatem: et anime tutelam accipiant†. per.

Benedictio nouorum fructuum.

Oratio. Bene✠dic domine hunc fructum nouum arborum vt hi qui vtuntur eo sine [*lege* sint] mente et corpore sanitati restituti per.

Benedictio vue uel ficuum.

Bene✠dic domine hos fructus nouos vue siue ficuum que tu domine per rorem celi et inundantiam pluuiarum et tempora serena atque tranquilla ad maturitatem producere dignatus es: ad percipiendum nobiscum gratiarum actionem [nobis cum gratiarum actione].

Benedictio ouorum.

Oratio. Subueniat quesumus domine tue benedictionis gratia huic ouorum creature: de qua pullos gallinarum procreare dignatus es: vt cibus salubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actione sumentibus. per christum dominum nostrum.

[From 05.]

Alia Benedictio agni vel carnium.

Oratio. Deus vniuerse carnis creator: qui noe et filiis de mundis animalibus precepta dedisti: quique sicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda ecclesie permisisti: qui agnum in egypto moysi et populo tuo in vigilia pasce edere precepisti in figura agni domini nostri iesu christi: cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti: et in nocte illa omne primogenitum percutere precepisti: conserua populum tuum agni sanguine prenotatum: ac dignare domine deus omnipotens bene✠dicere et sancti✠ficare hunc agnum mundanarum carnium: vt quicunque ex populis tuis fidelibus de eo comederint: omni benedictione celesti et gratia sanitatis repleantur. Per christum dominum nostrum.

[From 58I. See also 60S. 60I. 61.]

Benedictio nauis nuper facte.

℣. Adiutorium nostrum. *℟.* Qui fecit celum et terram. *℣.* Dominus vobiscum. *℟* Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio. Propitiare domine supplicationibus nostris: et bene✠dic

nauem istam, dextera sancta tua : et omnes, qui in ea vehentur : sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluuio : et Abraham, Isaac, et Iacob : porrige eis domine dexteram tuam : sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare : et mitte sanctum angelum tuum de celis : qui liberet, et custodiat eam semper a periculis vniuersis : cum omnibus, que in ea deferenda sunt : ac famulos tuos portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis : et rite perfectis negociis omnibus, iterato tempore, ad propria, cum omni gaudio reuocare digneris. Per dominum nostrum. ℟. Amen. *Et aspergatur Nauis aqua benedicta.*

Benedictio domus noue.

℣. Adiutorium nostrum in nomine. ℟. Qui fecit celum et terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu. Oremus.

Oratio. Te deum patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo : et pro domus huius habitatoribus : vt eam bene✠dicere : et sanctifi✠care digneris : ac bonis operibus ampliare, vt sint promptuaria eorum plena : eructantia ex hoc in illud. Tribue eis de rore celi abundantiam : et de pinguedine terre vite substantiam : et desideria voti eorum, ad effectum tue miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene✠dicere, et sanctifi✠care dignare hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, et Iacob : et intra parietes domus istius angeli tue lucis inhabitent : qui eam, et eius habitatores custodiant. Per dominum. *Et aspergat eam aqua benedicta.*

Benedictio cuiuslibet muneris, quod offertur in ecclesia.

℣. Adiutorium. ℟. Qui fecit celum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio. Deus cuius verbo et potentia facta sunt omnia : cuius dono percipimus, que ad vite presentis remedium possidemus : te supplices exoramus : vt de sede maiestatis tue, huic oblationi tuorum fidelium sanctifi✠cator accedas. Suscipe de manu famulorum tuorum hoc munus oblatum : quod a tua clementia benedictum, in vsum huius sanctuarii maneat consecratum. Tu eis domine pro paruis magna recompensa : pro terrenis celestia retribue : et pro temporalibus sempiterna concede. Per dominum nostrum.

Oratio siue Benedictio super paruulos.

Te deum patrem omnipotentem atque clementem trinum et vnum mundi factorem : vite auctorem deprecamur : qui es terribilis, pius, misericors, et laudabilis : innocens et innocentie amator : humilis, et humilitatis assumptor : mansuetus, et mansuetudinis habitator : qui venientibus ad te paruulis manus tue benedictionis imponens, talium dixisti esse regnum celorum : benedic quesumus et hoc paruulos, qui hodie, in ecclesia ad benedicendum sunt presentati : tu eis domine da intellectum et pietatis augmentum : vt te sapiant : te diligant : te ament : te timeant : et mandata tua custodiant et te concedente, vsque ad vltimam perueniant senectutem : per te saluator mundi deus. Qui cum patre.

[From 58I.]

Oratio seu coniuratio contra tempestates et grandinem imminentem.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini nostri Iesu Christi. Amen.

Symbolum. Quicunque vult saluus esse *totum dicitur.* Kyrie eleison. Pater noster. Dominus vobiscum.

Oratio. Domine Iesu Christe qui fecisti celum et terram : mare et omnia que in eis sunt : quique flumini iordano benedixisti : atque in eo baptizari voluisti : et tuas sanctissimas manus et brachia sacratissima in cruce extendisti : quibus aerem sanctificasti : obsecramus immensam pietatis et bonitatis tue abundantiam : quatenus has nubes : quas ante me : post me : et supra me : et a dexteris, et a sinistris, video : aerem perturbare : dissoluere, et annihilare digneris : vt alligata potestas demonum impie deseuiens : deficiat et turbetur : ad laudem tui sanctissimi nominis et omnipotentissime maiestatis tue. Qui viuis.

Postea conuersus ad nubes : et eas signo crucis signans : dicat.

Circundet te nubes Deus pa✠ter : circundet te Deus fi✠lius : circundet te Deus spiritus✠sanctus : Destruat te Deus pa✠ter : destruat te Deus fi✠lius : destruat te Deus spiritus✠sanctus. Amen. Sanctus deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis, miserere nobis. Disperdat vos Deus, ne nobis noceatis. In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Ecce✠crucem domini fugite partes aduerse, vicit leo de tribu Iuda ex stirpe Dauid qui viuit et regnat in secula seculorum. Amen.

[From 05. See also 81. 85. 93. 08. 43. 58I. 58L. 60S. 60I. 61.]

Ad induendum puerum vel puellam habitum in honore alicuius sancti : vt sancti Nicolai de tollentino : vel Augustini : vel sancte Monice : vel sancti Francisci : vel alicuius alterius pro aliquo voto vsque ad tempus.

[*Ad induendum puerum siue puellam pro voto seu pro deuotione :* 81. 85. 93. 08.]

[*Ad induendum puerum vel puellam habitum pro aliquo voto :* 09. 43. 58I. 58L. 60S. 60I. 61.]

℣. Adiutorium [nostrum in nomine domini.]

℟. Qui fecit celum [et terram.]

℣. Domine exaudi [orationem meam.]

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Domine iesu Christe : qui nostra pro salute, suscipiens humanam naturam : de [*lege* te] vestimento carnis induere dignatus es : benedictione sancta tua bene✠dic ista paruula vestimenta : que pro gratiis tibi exoluendis : cum omni deuotione sanctoque voto ac veneratione beatissime marie : infans iste *siue puella ista* super se suscepturus : *vel susceptura* est : infunde in eum quesumus tuam sanctam bene✠dictionem : vt cum primum induerit hoc religioni simile vestimentum : intercedente sancto .N. descendat super eum gratia tua : et protegat illum ab omni malo mentis et corporis. Qui viuis et regnas.

Deinde asperguntur vestimenta et illa adoleat incenso.
Cum vero exuit eum : vel eam dicat.

Eripiat dominus de corde tuo seculi pompas : quibus abrenunciasti : dum baptismum suscepisti.

ps. Eripe me domine ab homine malo : a viro iniquo eripe me. Eripe me de inimicis deus meus : et ab insurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem : et de viris sanguinum salua me. Gloria.

Postea induat eum cappa et scapularium antequam cingat : et dicat antiphonam.

Immittat in te dominus sanctum religionis habitum : amore sanctoque suo [*lege* feruore] succendaris : et ardeas celestium bonorum desiderio.

ps. Laudate pueri [dominum : laudate nomen domini.] Gloria.

Postmodum cingat eum dicendo Antiphonam.

Precingat te dominus zona iustitie : vt immaculata conserues omnia mandata sua.

ps. Laudate dominum in sanctis eius : laudate eum in firmamento virtutis eius.

Deinde det ei candelam accensam : et dicat.

℣. Domine exaudi [orationem meam.]

℟. Et clamor meus [ad te veniat.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Domine iesu Christe : lux vera de vero lumine : quesumus clementiam tuam : vt per intercessionem beatissimi .N. mentem paruuli huius illumines : vt cum ad annos discretionis aduenerit : sancto tibi animo corporeque deseruiat. Qui.

Postea benedicat puerum : offerendo eum super altare ac dicendo Antiphonam.

Confirma deus in puero *siue in puella* quod in eo operari cepisti a templo sancto tuo deducat eum spiritus tuus bonus in terram rectam : et benedictio tua sit super eum *vel eam* semper.

Deinde reddat illum parentibus : et conuersus ad omnes circunstantes dicat.

Bene✠dicat vos diuina maiestas pa✠ter et fi✠lius et spi✠ritus sanctus. ℟. Amen.

Ad exuendum puerum post annum cum portauerit habitum pro voto.

℣. Adiutorium. ℟. Qui fecit. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. [℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum : 581.]

Oratio. Domine sancte pater omnipotens eterne deus : a quo descendit omne bonum : et omne donum : tibi gratias referimus : et expleta vota reddimus : suscipe vota nostra cum actionibus gratiarum [intercedentibus] beata maria virgine : sanctoque .N. huic infanti de cetero presta salutem mentis et corporis : vt te creatorem recta fide colat : in redemptorem spem suam confirmet : teque summum bonum super omnia diligat : atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per.

Deinde illum habitum exuendo dicat antiphonam.

Reddite vota vestra deo cum actionibus suis†.

ps. Laudate dominum omnes gentes. ℣. Gloria.

Deinde ponat habitum super altare et dicat.

℣. Domine exaudi orationem [meam.]

℟. Et clamor meus.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Suscipe sancte pater omnipotens eterne deus vota precesque supplicum: et per intercessionem beatissime virginis marie sanctique .N. presta nobis ita beneficia tua cognoscere: vt in gratiarum semper actione maneamus. Per

Postea benedicat circunstantes dicendo.

Bene✠dicat vos diuina maiestas pa✠ter: et fi✠lius: et spiritus ✠ sanctus. Amen.

[From o5. See also 43. 58L. 58I. 60S. 60I. 61.]

De modo recipiendi pizocheras seu clamidatas cuiuscunque ordinis.

Benedictio corrigie pellicee: vel corde. Prior vel guardianus dicat.

In nomine domini nostri iesu christi benedicti: ac virginis gloriose marie patrisque nostri .N. totiusque curie triumphantis.

℣. Adiutorium nostrum. ℟. Qui fecit celum et terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens sempiterne et misericors deus: qui pietatis tue misericordiam peccatoribus querentibus veniam et misericordiam tribuisti. Oramus immensam clementiam tuam: vt has corrigeas pelliceas *vel* cordas bene✠dicere: et sancti✠ficare digneris: vt quecunque pro peccatis suis cincte fuerint: et misericordiam tuam implorauerint: veniam et indulgentiam tue sancte misericordie consequantur. Per christum.

Benedictio veli.

Bene✠dic quesumus omnipotens deus velamina ista famularum tuarum *vel* famule tue: capitibus imponenda: vt in eis *vel* in ea: bene✠dictio tue benignitatis descendat: vt sit in eis sanitas: sanctitas: castitas: virtus: victoria: sanctimonia: humilitas: bonitas: mansuetudo: legis plenitudo: et obedientia dei patris: et filii: et spiritus sancti. Adsit semper bene✠dictio. Per Christum dominum.

Benedictio clamidis.

Oremus. Deus qui vestimentum singulare: et indumentum eterne iocunditatis tuis fidelibus promisisti: clementiam tuam suppliciter exoramus: vt hec indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia: quibus famule tue *vel* famula tua sancto sunt visibiliter informando† proposito: propitius bene✠dicas: et castitatis habitum: quam te inspirante suscipiunt: te protegente custodiant: vt quas venerande professionis vestibus induis: temporaliter: beata facias immortalitate vestiri. Per christum.

Oremus. *Oratio.*

Domine iesu christe qui tegumen nostre mortalitatis induere dignatus es obsecramus immense largitatis tue abundantiam: vt hoc genus vestimentorum: quod sancti patres ad humilitatis indicium ferre sanxerunt: ita bene✠dicere digneris: vt he famule tue *vel* famula tua: que eo vse *vel* vsa fuerint *vel* fuerit: te induere mereatur. Per.

Benedictio pater noster.

Oremus. Domine iesu christe qui discipulos tuos orare docuisti: suscipe quesumus bene ✠ dicendo orationes famularum tuarum *vel* famule tue: vt eas *vel* eam: aspirando preueni: et adiuuando prosequere: vt cuncta earum *vel* eius oratio a te semper incipiat: et per te cepta finiatur. Per.

Nota quod clamidate ordinis heremitarum sancti augustini debent deferre corrigiam pelliceam: et ille ordinis seruorum: debent deferre corrigiam laneam vel lineam sicut decreuit innocentius. viii. Completis benedictionibus asperguntur tam vestimenta quam ipse mulieres: postea in exuendo dicat hanc orationem.

Exuat te dominus veterem hominem cum actibus suis: et renouaris† spiritu mentis tue: et induat te nouum hominem: qui secundum deum creatus est: in iustitia: et sinceritate veritatis: in christo iesu domino nostro.

Postea he orationes dicuntur.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Adesto domine supplicationibus nostris: vt has famulas tuas *vel* famulam hanc: bene ✠ dicere digneris: quibus *vel* cui in tuo nomine habitum sancte religionis imponimus: vt te largiente: et donante in religione persistant. Per christum dominum nostrum.

Oremus. *Oratio.* Deus misericors: deus clemens: cui cuncta bona placent: sine quo nihil bonum inchoatur: nihilque bonum perficitur: adsint nostris humillimis precibus tue pietatis aures: et has famulas: *vel* famulam tuam: quibus *vel* cui: in tuo sancto nomine habitum sancte religionis imponimus: a mundi impedimento: vel seculari desiderio defende: et concede eis: *vel* ei: in hoc sancto proposito deuote persistere: vt remissione peccatorum percepta: ad electorum tuorum valeant peruenire consortium. Per christum dominum nostrum.

Tunc prior vel guardianus cingat eam corrigia pellicea: vel corda et dicat

Accipe corrigiam pelliceam super lumbos tuos: vt sint lumbi tui: *vel* vestri: precincti in signum castitatis et temperantie. In nomine pa ✠ tris: et fi ✠ lii: et spiritus ✠ sancti.

Postea distribuat candelas accensas omnibus sororibus ac fratribus existentibus dicens.

Et sit lucerna ardens in manibus vestris: in signum pudicitie et honestatis. In nomine pa ✠ tris: et fi ✠ lii: et spiritus ✠ sancti.

Postea imponat velamen album dicens.

Accipe velum super caput tuum: in signum obedientie: munditie: et puritatis. In nomine pa ✠ tris: et fi ✠ lii: et spiritus ✠ sancti.

Deinde induat clamidem dicendo.

Accipe clamidem nigram in signum penitentie: et mortalitatis: vt mortua mundo: deo viuas. In nomine pa ✠ tris: et fi ✠ lii: et spiritus ✠ sancti.

Deinde detur eis pater noster in manibus dicendo.

Nunc accipe signum orationum in manibus tuis: vt more contemplantium contempta felicitate terrena: presentem vitam habeas in patientia. et in desiderio futuram: cupiens dissolui et esse cum christo. In nomine pa ✠ tris: et fi ✠ lii: et spiritus ✠ sancti.

Finito cantatur Ueni creator spiritus. *totum.*

Et postea : ℣. Emitte spiritum tuum : et creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terre. ℣. Post partum virgo inuiolata permansisti. ℟. Dei genitrix. ℣. Ora pro nobis beate pater augustine. *vel* Francisce. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus christi. ℣. Ora pro nobis beata mater monica. *vel* Clara. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus christi. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti : da huic *vel* hiis famulabus in eodem spiritu recta sapere : et de eius semper consolatione gaudere. Per dominum.

Oratio de beata virgine.

[*Oratio.*] Concede nos famulos. [tuos quesumus domine deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere : et gloriosa beate marie semper virginis intercessione, a presenti : liberari tristitia : et eterna perfrui letitia. Per. *add.* 43.]

Oratio. Concede quesumus omnipotens deus : vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur : beatissimi patris nostri augustini confessoris tui atque pontificis : patrocinio subleuemur. Per.

Oratio. Grata tibi sit domine nostre seruitutis oblatio : pro qua sancta monica interuentrix existat. Per dominum.

Oratio. Pretende domine famulis et famulabus tuis dexteram celestis auxilii vt te toto corde perquirant : et que digne postulant consequi mereantur. Per christum dominum nostrum.

Finitis orationibus prior vel alter dicat eis porrigendo librum in manibus earum : et quod faciant professiones : et quod tantum duo vota promittant. Si volunt promittere hec duo vota : tunc prior dicat.

Uos promittitis obedientiam et castitatem seruare : et viuere secundum vitam : et ordinationem dominarum clamidatarum ordinis heremitarum sancti augustini : *vel* ordinis minorum : *vel* seruorum : *vel* carmelitarum ?

Si promittunt tunc dicat eis prior.

Dominus qui incepit in vobis opus bonum : ipse perficiat in augumentum gratie et glorie : meritis beati patris nostri augustini eiusque deuotissime matris monice amen.

Finito prior vel guardianus dicat.

Ego auctoritate patris nostri generalis : qua fungor indultu apostolico mihi commisso : vos recipio atque accepto : et participes facio omnium bonorum : videlicet orationum missarum : predicationum : elemosynarum : ceterorumque bonorum que fiunt per totum ordinem nostrum · In nomine pa ✠ tris : et fi ✠ lii : et spiritus ✠ sancti amen.

Postea prior dicat. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Adesto supplicationibus nostris omnipotens deus : et quibus fiduciam sperande pietatis indulges : intercedente beato augustino confessore tuo atque pontifice : consuete misericordie tribue benignus effectum. Per christum.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus : qui lachrymas beate monice in conuersione filii sui augustini misericorditer suscepisti : da nobis vtriusque interuentu peccata nostra deplorare : et gratiam tue indulgentie inuenire. Per christum dominum nostrum.

Oratio. Famulas tuas domine custodiat: et muniat pietas tua vt castitatis et obedientie sancte propositum quod in te spirante† susceperunt: te protegente illese custodiant. Per.

Uel dicas orationem sancti francisci: vel sancte clare si fuerit ordinis minorum.

Oratio. Deus qui nos beati francisci confessoris tui annua solennitate letificas: concede propitius: vt cuius natalitia colimus etiam actiones imitemur. Per christum dominum nostrum.

Oratio. Famulos tuos quesumus domine beate virginis tue clare votiua natalitia recensentes: celestium gaudiorum sua facias interuentione participes: simul in vnum diuites et pauperes tui vnigeniti coheredes. Per.

Oratio super omnes sorores.

Respice domine gregem istum qui contempto mundo et concupiscentia carnis: sub ala tue protectionis affugiens humiliter commoratur: atque deuotas animas: et tibi sponte seruire volentes: tue beatitudinis regno velut apis argumentosa vnquam accumulare recusant: et famulas tuas pro quibus humiliter supplicamus: tam signo tuo [in] victissime ✠ proteges: quam interior sancto habitu nostre sancte religionis informas: ita vt fidei ornate: spei secure: et charitatis accense: fac eas domine mundas: et ea que sunt in mundo desperare† : et que sathane militie resignauit: te solum sponsum suum: et patrem veracissimum querentes: super eas rorem tue bene✠dictionis infunde: easque ab omnibus peccatis absolue: cor suum in temptationibus robora: pariterque mentem a prauis desideriis aliena: vt ab illicitis concupiscentiis nudate: nudam crucem sequantur: et velut altera magdalena mundum fugientes: et hic celestis vite participatione fruantur: et in fine vitam quam nec oculus vidit: nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit: vna cum sanctis tuis accipiant vitam sempiternam. Amen.

Nota quod omnes clamidate ordinis minorum ac predicatorum ac carmelitarum: gaudent priuilegio ordinis heremitarum sancti augustini. Et e conuerso ordinis heremitarum gaudent omni priuilegio minorum: predicatorum: carmelitarum: et sic omnes indulgentie heremitarum ac cetera indulta apostolica: omnia communia sunt hiis quatuor religionibus mendicantium: prout apparet per mare magnum sanctissimi in christo patris Sixti quarti: qui dedit ordini heremitarum sancti augustini in quarto anno sui pontificatus: et sic posuit quandam sanctam vnionem inter mendicantes.

[From o8.]

Benedictio seu oratio ad initium boni operis.

ps. Ad te domine leuaui animam meam *totum.* Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Deus a quo omne bonum sumit initium et semper ad potiora progrediens percipit incrementum: concede quesumus supplicantibus nobis: vt quod ad laudem nominis tui inchoare aggredimur eterno tue paterne sapientie munere perducatur ad terminum. Per christum.

Benedictio putei noui.

℣. Adiutorium. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Domine deus omnipotens qui in huius putei altitudinem per crepidinem fistularum copiam aquarum manare iusisti : presta : vt te iubente atque bene✠dicente per nostre officium functionis repulsis hinc fantasmaticis calliditatibus atque insidiis diabolicis purificatus atque emundatus semper hic puteus perseueret. Per christum dominum.

Postmodum aspergatur aqua benedicta.

Benedictio alicuius domus noue vel a demone vexate sacerdos cum stola dic.

℣. Adiutorium. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipotens sempiterne deus qui sacerdotibus tuis pre ceteris tantam gratiam contulisti : vt quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur a te fieri credatur quesumus immensam clementiam tuam vt quod modo visitaturi sumus visites et quicquid benedicturi benedicas : et ad ea que acturi sumus dexteram tua potentie extendas : sintque ad nostre humilitatis ingressum et introitum sanctorum tuorum meritis fuga demonum : et angeli pacis ingressus. Per christum.

Deinde incipe quinque primos psalmos graduales cum Gloria patri *et ipsos dicendo asperge aquam benedictam per loca domus. Postea dic.* Kyrieleison. Christeleison. Kyrieleison. Pater noster. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Domum tuam domine clementer ingredere et in tuorum tibi corda fidelium perpetuam construe mansionem : et presta vt in hac domo nulla malignorum spirituum dominetur nequitia. Per christum.

Deinde dic alios quinque graduales psalmos cum Gloria patri *aspergendo domum vt supra cum aqua benedicta. Postea.* Kyrieleison *et* Pater noster *vt supra.* Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus qui in omni loco dominationis tue totus assistis totus operaris : adesto supplicationibus nostris : vt huius domus edificate sis protector : et nulla hic nequitia contrarie potestatis obsistat : sed virtute spiritus sancti et operatione fiat tibi hic primum seruitium et deuota libertas existat. Per Christum.

Dic alios quinque graduales cum. Gloria patri. *et aspersione vt supra et* Kyrieleison *et* pater noster *vt supra cum oratione sequenti.* Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Deus qui in omni loco dominationis tue dedicator assistis exaudi nos quesumus : vt inuiolabilis huius domus permaneat benedictio : et beneficia tui muneris vniuersitas que supplicat mereatur. Per christum.

Deinde in principaliori loco domus sequens euangelium legatur Dominus vobiscum.

Sequentia sancti euangelii secundum lucam. Gloria tibi *etc.* In illo tempore : Ingressus iesus perambulabat hyerico : *Quere in missa dedicationis ecclesie in fine missarum de tempore.*

Deinde benedic incensum isto modo

Per intercessionem beati michaelis archangeli stantis a dexteris altaris incensi et omnium sanctorum angelorum incensum istud digneris domine Bene✠dicere et in odorem suauitatis accipere. Per christum.

Deinde pone incensum super ignem dicendo. ℣. Incensum a te benedictum ascendat ad te domine. ℟. Et descendat super nos misericordia tua. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Uisita quesumus domine habitationem etc.

Deinde facias signum crucis super domum et super habitantes in ea dicens In nomine patris ✠ et filii ✠ et spiritus sancti ✠ Amen.

Postea benedic omnes dicendo. Benedictio dei omnipotentis patris ✠ et filii ✠ et spiritus sancti ✠ descendat super vos et domum istam et maneat semper Amen.

[From 08. See also 09. 43. 58I. 58L. 60S. 60I. 61.]

Benedictio thalami.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini *etc.* Dominus vobiscum, *etc.* Oremus.

Oratio. Bene ✠ dic domine thalamum hunc et omnes habitantes in eo : ut in tua pace consistant ; et et† in tua voluntate permaneant senescant : et multiplicentur in longitudinem dierum. Per christum dominum nostrum, *etc.*

Postea aspergat aqua benedicta.

Benedictio candelarum.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini. ℟. Qui fecit celum et terram. ℣. Dominus vobiscum.

Oratio. Domine iesu christe fili dei viui : Bene ✠ dic candelas istas supplicationibus nostris infunde eis domine per virtutem sancte cru ✠ cis benedictionem celestem qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti : talemque bene ✠ dictionem signaculo sancte cru ✠ cis accipiant : vt quibuscunque locis accense. siue posite fuerint discedant principes tenebrarum et contremiscant et fugiant pauidi cum omnibus ministris suis de habitationibus illis nec presumant amplius inquietare aut molestare seruientes tibi omnipotenti deo. Qui viuis et regnas. *etc.* ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta.

[From 08.]

Alia benedictio candelarum.

℣. Adiutorium. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Domine iesu christe lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum effunde bene ✠ dictionem tuam super hos cereos et super has candelas et sanctifica ✠ eas lumine tue gratie : et concede propitius : vt sicut hec luminaria igne visibili accensa nocturnas depellent tenebras ita corda nostra inuisibili igne id est spiritus sancti ✠ splendore illustrata omnium vitiorum cecitate careant : vt puro mentis oculo cernere semper possumus que tibi sint placita et nostre saluti vtilia : quatenus post huius seculi caliginosa discrimina ad lucem indeficientem peruenire mereamur. Per dominum nostrum iesum christum filium.

Postea aspergatur† aqua benedicta.

[From 08. See also 09. 43. 58I. 58L. 60S. 60I. 61.]

Benedictio ignis quandocunque volueris.

℣. Adiutorium *etc.* Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Domine deus noster pater omnipotens lumen indeficiens conditor omnium luminum exaudi nos famulos tuos: et bene✠dic hunc ignem qui tua sanctificatione atque benedictione consecretur: tu qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum illumina tenebras cordis nostri et conscientieas† nostras, igne tue caritatis: ut tuo lumine igniti et tuo lumine illuminati: expulsis a cordibus nostris peccatorum tenebris ad vitam te illustrante peruenire mereamur eternam. Per dominum nostrum.

Pestea aspergatur aqua benedicta.

[From 08.]

Benedictio incensi.

℣. Adiutorium. ℣. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Tua quesumus omnipotens sempiterne deus immense maiestatis dextera hanc creaturam incensi bene✠dicere et sanctificare digneris: vt in virtute sancti nominis tui omnes immundorum spirituum fantasticos incursus effugare omnesque morbos reddita sanitate expellere vbicumque fumus eius afflauerit mirabiliter possit atque tibi omnipotenti deo odore flagrantissimo perpetua suauitate redolere. Per christum.

Postea aspergatur aqua benedicta.

Benedictio anchonarum.

℣. Adiutorium.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus maiestatem tuam suppliciter exoramus vt anchonam hanc in qua gloriosissime imagines tui et filii tui domini nostri iesu christi glorioseque virginis marie aliorumque sanctorum .N. depicte sunt: bene✠dicere et sancti✠ficare digneris: antequam quicunque ob deuotionem se ad ipsam deuote adorandam inclinauerint salutem mentis et corporis consequantur: et a cunctis periculis liberentur: et quicquid iuste petierint obtinere mereantur. Per.

[From 43. See also 58L. 60S.]

Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere.

Pontifex sacerdotalia indumenta benedicere volens: stans sine mitra dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit celum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus, qui per moysen famulum tuum pontificalia et sacerdotalia atque leuitica vestimenta, ad explendum ministerium eorum in conspectu tuo ad honorem et decorem nominis tui fieri decreuisti: adesto propitius inuocationibus nostris: et hec indumenta sacerdotalia desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione, per nostre humilitatis seruitutem puri✠ficare, bene✠dicere, et conse✠

crare digneris : vt diuinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant : hisque sacris vestibus pontifices, sacerdotes, seu leuite tui induti : ab omnibus impulsionibus seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur : tuisque mysteriis apte et condigne seruire et inherere, atque in his tibi placide et deuote perseuerare tribue. Per christum dominum nostrum.

Alia oratio.

Deus inuicte virtutis auctor, et omnium rerum creator ac sanctificator : intende propitius preces nostras : et hec indumenta leuitice et sacerdotalis glorie : ministris tuis fruenda : tuo ore proprio bene✠dicere, conse✠crare, et sancti✠ficare digneris : omnesque eis vtentes : tuis mysteriis aptos : et tibi in eis deuote et amabiliter seruientes, gratos effici concedas. Per dominum.

Deinde aspergat ipsa indumenta aqua benedicta. Poterit etiam pontifex sine mitra stans, super ipsa indumenta, antequam aqua benedicta aspergat : sequentem benedictionem si ei placebit dicere.

Oremus. Domine deus omnipotens qui vestimenta pontificibus, sacerdotibus, et leuitis in vsum tabernaculi federis necessaria, moysen famulum tuum agere iussisti : eumque spiritu sapientie ad id peragendum repleuisti : hec vestimenta in vsum et cultum mysterii tui sancti✠ficare, bene✠dicere, et conse✠crare digneris : atque ministros altaris tui, qui ea induerint : septiformis spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stola beata facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta : vel etiam si placet poterit pontifex sine mitra stans finitis precedentibus orationibus antequam indumenta aqua benedicta aspergit, vel etiam omissis omnibus, sequentem specialem dicere nominando in ea indumentum vel indumenta : quod seu que benedicit.

Specialis benedictio cuiuslibet indumenti.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit [celum et terram.]

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Deus omnipotens, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus, vt manibus nostris opem tue benedictionis infundas : et has caligas et sandalia, *vel* amictum, *vel* albam, *vel* cinctorium, *vel* stolam, *vel* manipulum, *vel* tunicam, *vel* dalmaticam, *vel* planetam diuino cultui preparatam, virtute sancti spiritus bene✠dicere, sancti✠ficare, et conse✠crare digneris : et omnibus ea vtentibus, gratiam sanctificationis sacri mysterii tui benignus concede, vt in conspectu tuo sancti et immaculati atque irreprehensibiles appareant, et auxilium misericordie tue acquirant. Per christum.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

Benedictio mapparum seu linteaminum sacri altaris.

Pontifex mappas seu linteamina sacri altaris benedicturus : stans sine mitra dicit.

℣. Adiutorium nostrum in nomine domini.

℟. Qui fecit celum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Exaudi domine preces nostras, et hec linteamina sacri altaris vsui preparata: bene✠dicere et sancti✠ficare digneris. Per christum.

Oremus.

Domine deus omnipotens, qui ornamenta et linteamina facere moysen famulum tuum per quadraginta dies docuisti: que etiam maria texuit, et fecit in vsum ministerii tabernaculi federis, sancti✠ficare, bene✠dicere et conse✠crare digneris hec linteamina, ad tegendum, inuoluendumque altare gloriossimi filii tui domini nostri Iesu Christi. Qui tecum viuit et regnat in vnitate spiritussancti deus: per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

[From 15. See also 30, 40.]

Benedictio panis.

Benedicite. *Respondetur.* Dominus. Oremus.

Oratio. Bene✠dic domine istam creaturam panis: sicut benedixisti quinque panes in deserto: vt omnes gustantes ex eo: recipiant tam corporis quam anime sanitatem. In nomine patris: et filii: et spiritus sancti. Amen.

Aspergaturque aqua benedicta.

[From 15.]

De vita humana bene instituenda.

Mane deo vitam: commendet vir bonus omnem.
Predicet et laudes: grates vbique deo.
Nocte memor culpe: relegensque errata diurna.
Peniteat: veniam postulet inde cubet.

[From 30. See also 40.]

De virtute aque benedicte. V.

Sex operatur aqua per presbyterum benedicta.
Cor mundat, fugat accidiam, venialia tollit.
Auget opem, remouetque hostem, phantasmata pellit.

[From 85. See also 93. 08.]

Incipit ordo ad cathecuminum faciendum secundum consuetudinem romane curie.

Stans igitur in ecclesie limine sacerdos interrogat cathetizandum stantem ad fores ecclesie dicens vt sequitur.

Quis vocaris. ℟. N. *Interroget* N. quid petis ab ecclesia dei : ℟. fidem. *Interroget:* fides quid tibi prestat. ℟. Uitam eternam. *Postea dicit:* Si vis habere vitam eternam. serua mandata. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo : et ex tota anima tua : et proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophete. Fides autem est ut vnum deum in trinitate et trinitatem in unitate veneretis Neque confundendo personas : neque substantiam separando. Alia enim est persona patris. alia filii. alia spiritus sancti. Sed horum trium. vna est diuinitas. Exeat ergo de te spiritus malignus : et ingrediatur spiritus bonus. per eum qui venturus est iudicare viuos et mortuos et seculum per ignem. ℟. Amen.

Nunc dicit sacerdos iterum: Exi ab eo immunde spiritus : et da locum spiritui sancto paraclito. *Hic in modum crucis insufflet in faciem cathetizandi et dicat ei* N. accipe spiritum sanctum per istam insufflationem et dei benedictionem. ℣. pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo *deinde faciat ei crucem in fronte dicendo* N. signum saluatoris domini nostri iesu christi in fronte tuo pono. *Item in fronte et corde* N. accipe signum cru✠cis tam in fronte quam in corde summam scilicet fidei celestium preceptorum. Talis esto moribus vt templum dei iam esse possis ingressusque ecclesiam dei euasisse te laqueos mortis letus agnosce. Horresce idola : respue simulachra. cole deum patrem omnipotentem et iesum christum filium eius vnicum dominum nostrum : Qui venturus est iudicare viuos et mortuos : et seculum per ignem. ℟. Amen. *Oratio.* Oremus.

Preces nostras quesumus domine clementer exaudi : et hunc electum tuum crucis dominice : cuius eum impressione signa✠mus virtute custodi ut magnitudinis glorie tue rudimenta seruans : per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per eun[dem] dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

Oratio. Deus qui humani generis ita es conditor ut sis etiam reformator : propitiare populis adoptionis : et nouo testamento : sobolem noue prolis ascribe : vt filii promissionis : quod non potuerunt assequī per naturam : gaudeant se recepisse per gratiam. per christum dominum nostrum. ℟. Amen. Oremus.

Hic imponit manum super caput eius et dicit.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus pater domini nostri iesu christi : respicere dignare super hunc famulum tuum quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es : Omnem cecitatem cordis ab eo expelle disrumpe omnes laqueos sathane quibus fuerat obligatus : Aperi ei domine ianuam pietatis tue ut sale sapientie tue imbutus omnium cupiditatum fetoribus careat : et suauem odorem preceptorum tuorum in ecclesia tua

letus sentiat. Tibi deseruiat et proficiat de die in die: ut idoneus efficiatur accedere ad graciam baptismi tui. per eum qui venturus est iudicare viuos et mortuos et seculum per ignem. Amen.

Benedictio salis. Benedic ✠ omnipotens deus hanc creaturam salis benedicti ✠ one celesti ad effugandum inimicum quod tu domine sancti ✠ ficando sanctifices: bene ✠ dicendo benedicas. fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum: in nomine domini nostri iesu christi: Qui venturus est iudicare viuos et mortuos et seculum per ignem.

Tunc accipit de ipso sale et ponit in ore infantis dicens accipe salem sapientie ut propitiatio sit tibi in vitam eternam. ℣. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio. Deus patrum nostrorum deus vniuerse conditor veritatis: te supplices exoramus ut hunc famulum tuum respicere digneris propicius. et eum primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas: quominus cibo expleatur celesti: Quatenus sit semper domine spiritu feruens: spe gaudens tuo semper nomini seruiens. perduc eum domine quesumus ad noue regenerationis lauacrum: ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum eterna premia consequi mereatur. per christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio. Deus abraham. deus ysaac: deus iacob: deus qui moysi famulo tuo in monte synai apparuisti. et filios israel de terra egypti eduxisti: deputans eis angelum pietatis tue qui custodiret eos die ac nocte: quesumus. ut mittere digneris sanctum angelum tuum qui similiter custodiat et hunc famulum tuum et perducat eum ad gratiam baptismi tui per christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam et da honorem deo viuo et vero: da honorem iesu christo filio eius: et spiritui sancto: ut exeas et recedas ab hoc famulo dei. Quia ita eum sibi dominus noster iesus christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis vocare dignatus est: per hoc signum sancte cru ✠ cis quod nos in fronte eius damus tu maledicte diabole numquam audeas violare: per eum qui venturus est iudicare viuos et mortuos et seculum per. etc. ℟. Amen.

Super masculum Oratio. Deus abraham: Deus ysaac: Deus iacob et cetera. *Require ipsa supra. Sequitur.*

Oratio.

Audi maledicte sathana adiuratus per nomen dei eterni cum tua victus inuidia tremens gemensque discede: nihilque tibi sit commune cum seruo dei iam celestia cogitante renunciaturo tibi et seculo tuo: et beata immortalitate victuro. Da igitur honorem aduenienti spiritui sancto qui ex summa celi arce descendens perturbatis fraudibus tuis: diuino fonte purgata pectora uel sanctificata corda deo templum et habitaculum perficiat. Et ab omnibus penitus noxis preteritorum criminum liberatus dei seruus: gratias perhenni deo referat semper et benedicat nomen eius in secula seculorum. ℟. Amen.

Super masculum exorcismus. Exorciço te immunde spiritus: In nomine pa ✠ tris et fi ✠ lii et spi ✠ ritus sancti. ut exeas et recedas ab hoc famulo dei Ipse enim tibi imperat maledicte damnate: qui siccis pedibus

super mare ambulauit: et petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte. *Require supra.*

Super feminam oratio. Deus celi deus terre deus angelorum: deus prophetarum deus martyrum deus omnium beneviuentium deus cui omnis lingua confitetur celestium terrestrium et infernorum: te inuoco domine ut hanc famulam tuam perducere et custodire digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte. *Require supra.*

Super feminam. Oremus. *Oratio.*

Deus abraham: deus ysaac deus iacob: deus qui tribus israel monuisti et susanam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor domine ut liberes hanc famulam tuam: Et perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte *ut supra.*

Exorcismus super feminam. Exorciço te immunde spiritus per pa ✠ trem et fil ✠ ium et spi ✠ ritum sanctum: ut exeas et recedas ab hac famula dei. Ipse enim tibi imperat maledicte damnate: qui ceco nato oculos aperuit: et quatriduanum lazarum de monumento suscitauit. *Require vnde supra.*

His peractis ducat eum uel eam in ecclesiam dicendo: Ingredere in sanctam ecclesiam dei: ut accipias benedictionem celestem a domino iesu christo.

Tunc patrinus uel patrina illius ponat eum super pauimento et dicat Pater noster. Credo in deum. *Que require supra. Postea eleuatus legitur euangelium.*

Secundum mattheum. [xix. 13-16].

In illo tempore: Oblati sunt iesu paruuli ut manus eis imponeret et curaret ... abiit inde.

Postea sacerdos tenens manum super caput infantis dicat prout sequitur. Nec te lateat sathana imminere tibi penas imminere gehennam: imminere tibi diem iudicii diem qui venturus est velut clibanus ardens in quo tibi atque vniuersis angelis suis† eternus† ibi veniet interitus. Quapropter diabole da honorem deo viuo et vero et iesu christo filio eius. In cuius nomine atque virtute adiuro te quicunque es immunde spiritus: ut exeas et recedas ab eo fiatque vas mundum ad superuenientem sanitatem in spiritum sanctum. Sitque etiam templum dei viui: quem deus et dominus noster ad suam gratiam vocare dignatus est. Qui cum patre et spiritu sancto viuit. et regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

Postea tangat ei nares et aures cum suo sputo dicens. Epheta. quod est adaperire nares et aures in odorem suauitatis: tu autem effugare diabole. appropinquabit enim iuditium dei.

Benedictio fontis. Exaudi nos omnipotens deus: et in huius aque substantiam tuam immisce virtutem: ut abluendi per eam et sanitatem simul et vitam mereantur eternam. per christum. etc.

Exorcismus. Exorciço te creatura aque in nomine dei patris ✠ omnipotentis: et in nomine ✠ iesu christi filii eius: et in virtute spiritus ✠ sancti. Exorciço te omnis virtus diaboli: ut omnis fantasia eradicetur et effugetur: ab hac creatura aque: ut fiat fons aque salientis in vitam† eternam: vt qui ex ea baptiçatus fuerit fiat templum dei viui et spiritus sanctus habitet in eo in remissionem peccatorum. In nomine domini nostri iesu christi: qui venturus est iudicare viuos et mortuos et seculum per ignem. ℟. Amen.

Nunc accipiat sacerdos ampulam olei chrismatis : et fundat de ipso in aquam in modum cru ✠ cis sic dicens. Sanctificetur et fecundetur fons iste in nomine patris ✠ et fi ✠ lii et spiritus ✠ sancti. Amen.

et postea misceat ipsum chrisma cum eadem aqua per totum fontem. Deinde interrogat puerum de nomine eius dicens. N. abrenuncias sathane : [℟] Abrenuncio. *Interrogat.* Et omnibus pompis eius. ℟. Abrenuncio. *Interrogat.* Et omnibus operibus eius : ℟. Abrenuncio.

Deinde faciat ei cru ✠ cem in pectore et inter scapulas de oleo paruulorum dicens : Et ego te linio oleo salutis in christo iesu domino ut habeas vitam eternam. ℟. Amen.

postea interrogat de nomine eius dicens. N. Credis in deum patrem omnipotentem. creatorem celi et terre. ℟. Credo. *Interrogat iterum* Credis et in iesum christum filium eius vnicum dominum nostrum natum et passum. ℟. Credo. *Iterum tertio :* Credis et in spiritum sanctum sanctam ecclesiam catholicam sanctorum communionem remissionem peccatorum carnis resurrectionem vitam eternam Amen. ℟. Credo. *Interrogat.* An vis bapticari. ℟. Uolo.

Tunc baptizet eum sub trina mersione sanctam trinitatem semel inuocando : sic dicens. N. Et ego te baptizo in nomine patris. *Et mergat semel* Et filii *Et mergat secundo :* Et spiritus sancti. *Et mergat tertio.*

Postea sacerdos faciat ei crucem ✠ de chrismate cum pollice in vertice infantis dicendo

Deus omnipotens pater domini nostri iesu christi : qui te regenerauit ex aqua et spiritu sancto. quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum : ipse te liniat chrismate salutis in vitam eternam Amen.

Deinde tradat ei vestem dicendo Accipe vestem candidam et immaculatam quam perferas ante tribunal domini nostri iesu christi et habeas vitam eternam Amen.

Post hec omnia det in manu eius candelam accensam dicens Accipe lampadem irreprehensibilem : custodi baptismum tuum vt cum dominum venerit ad nuptias possis occurrere in aula iusticie celesti Amen.

[From 58I.]

Nota de contrahendo matrimonio. Sciendum quod matrimonium omni tempore potest contrahi: id est quod vulgo dicitur dare la mano, sed non debet uxor duci domum, neque haberi res cum ea, nisi audita missa, et accepta benedictione a sacerdote, et qui secus fecerint, male, et pessime faciunt, nec mirum si filii discoli nascuntur.

Ab octaua pentecostes, usque ad vesperas sabbati prime dominice Aduentus conceditur.

Item, a vesperis dicti sabbati aduentus, vsque per totum diem octaue epiphanie prohibetur.

Item ab octaua epiphanie vsque ad vesperas sabbati septuagesime conceditur.

Item a vesperis dicti sabbati septuagesime vsque per totam octauam paschatis exclusiue, prohibetur.

Item a die lune post octauam paschatis: vsque per totam dominicam rogationum exclusive conceditur, qui est ante tertium diem Ascensionis.

Item, a die lune rogationum id est a tribus diebus ante ascensionem, vsque per totum sabbatum infra octauam pentecostes, prohibetur.

Pro faciendo matrimonio.

Oratio. Deus per quem mulier iungitur viro: et qui coniugalem copulam in nuptiarum federe consecrasti: piis quesumus inuocationibus nostris adesto: mentesque nostras benignus illustra: vt quod coniunctionis et affinitatis acturi sumus mysterio: tua si placuerit disponente clementia: socialem sortiatur effectum. Per dominum.

Secreta. Sacrificia tibi domine precibus immolanda deferimus: que, quesumus, corda nostra purificent: quatenus maiestati tue, quod a nobis faciendum est, gratum efficiatur: et coniunctionis, seu solutionis fedus, tuo munere disponatur. Per dominum.

Postcommunio. Deus qui femineo corpori de virili carne principium prestitisti: docens quod ex vno placuisset institui nunquam licere disungi: per hec sancta que sumpsimus, te quesumus inuocantes exaudi: vt in his que expetunt gerendis: ita se tua disponente gratia gerant et agant: vt quos inspiratio sancta coniunxerit: homo sua temeritate non separet. Per dominum.

Quando sponsus et sponsa ad ecclesiam pro benedictione venerint: cum ad ecclesie ianuam peruenerint, sacerdos ad ianuam accedens, dicat. In nomine patris. [*See below.*]

[*In place of form above* 60I. (see also 61.) *has*]

Animaduertendum est, quod Sponsalia, seu Matrimonium quod fit per verba de presenti, et sine alia celebritate, omni tempore contrahi potest, cum sit Sacramentum: c. Debilium: de Bigamis. Verum solennitates nuptiales: vt sunt conuiuia, vxoris traductio, carnis commixtio, et cetera huiusmodi: 33. *q.* 4. *c. non oportet: c. non licet: et c. nec vxorem: ab ecclesia catholica prohibentur. Et quia* (*vt ait D. Tho.* 4. *d.* 32. *art.* 5. *q.* 4.) *quando noue sponse traducuntur animus coniugum valde ad curam*

carnalium occupatur: ideo illis temporibus, in quibus homines precipue debent se ad spiritualia eleuare, prohibitum est nuptias celebrare. Vnde a Dominica prima aduentus domini, vsque ad octauam Epiphanie inclusiue: vt in c. Capellanus: de Ferijs. Et a Septuagesima, vsque ad octauam Pasche inclusiue. Similiter a tribus diebus ante Ascensionem Domini, vsque ad festum sanctissime Trinitatis etiam inclusiue: huiusmodi nuptie prohibentur. Et hoc propter preparationem ad communionem, que secundum antiquos canones conuenienter fieri solet in natiuitate Domini: in Paschate: et in festo Pentecostes. In alijs vero temporibus possunt nuptie celebrari. Sed cum sponsus et sponsa a sacerdote sint benedicendi: dist. 24. *et* 33. *q.* 5. *cap. Sponsus: ideo non licet sponso vxorem ducere, nec eam carnali copula cognoscere, nisi audita missa: et benedictione accepta a sacerdote. Que quidem benedictio fit, si nullus ipsorum, alijs contractis nuptijs, benedictionem acceperit. Si vero alter eorum in alio matrimonio talis benedictionis compos fuerit: nullo pacto talis benedictio reiterari debet: sed dimitti: vt in c. Vir autem: de secundis nuptiis, patet. Obseruatur autem in quibusdam locis: quod quando sponsus et sponsa pro benedictione ad ecclesie ianuam peruenerint, sacerdos ad ianua accedens, dicat.* In nomine Patris [See below].

[From 58I. See also 60I. 61.]

In nomine patris, ✠ et filii et spiritus sancti. ℟. Amen. ℣. Adiutorium nostrum etc. *ps.* Beati omnes qui timent dominum *totus, cum* Gloria patri. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *quod ab omnibus presentibus dicatur.* Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera etc. Saluos fac seruum tuum et ancillam tuam. ℟. Deus meus, sperantes in te. ℣. Mitte eis domine auxilium de sancto. ℟. Et de sion tuere eos. ℣. Domine exaudi orationem. *et* Dominus vobiscum. Oremus.

Omnipotentem et sempiternum deum deprecemur: qui primos parentes nostros Adam et Euam sua virtute creauit: et in societate sancta copulauit: et ita corda et corpora vestra sancti ✠ ficet, et bene ✠ dicat: atque in societate et amore. vere dilectionis coniungat. Per.

Oremus. Bene ✠ dicat vos Deus pater; et custo ✠ diat vos Iesus christus: ostendatque faciem suam in vobis, et misereatur vestri: conuertat dominus vultum suum ad vos: et det vobis pacem et sanitatem corporis et anime: et impleat vos Christus omni benedictione spirituali in remissionem peccatorum: vt habeatis vitam eternam: et viuatis in secula seculorum. ℟. Amen.

Benedictio dei omnipotentis, patris ✠ et filii ✠ et spiritus sancti ✠ descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat vtrumque aqua benedicta: Qui ingrediantur ecclesiam ad missam audiendam. Et sacerdos prius benedicat annulum dicens. ℣. Adiutorium nostrum. ℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus. ℣. Dominus vobiscum.

Oratio. Benedic domine annulum hunc: quem in tuo nomine benedicimus: vt que eum portauerit, in tua pace consistat: et in tua volun-

tate permaneat : et in amore tuo viuat, et senescat : et multiplicetur in longitudine dierum. Per Christum dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio. Creator et conseruator humani generis, dator gratie spiritualis eterne deus : tu domine mittere digneris spiritum sanctum paraclitum super hunc ✠ annulum : vt que illum gestauerit, sit armata virtute celestis defensionis : et proficiat illi ad eternam salutem. Per christum dominum.

Finita oratione aspergat sacerdos annulum aqua benedicta. Postea fiat vt fieri solitum est secundum loca : circa dationem annuli.

[From 81. See also 85. 93. 05. 08. 09. 15. 30. 40. 43. 58I. 58L. 60S. 60I.]

Missa pro sponso et sponsa.

Introitus. Deus israel coniungat vos et ipse sit vobiscum. qui misertus est duobus eunuchis. et nunc domine fac eos plenius benedicere te. *ps.* Beati omnes qui timent dominum. qui ambulant in viis eius. ℣. Gloria patri et filio.

Oratio. Deus qui tam excellenti ministerio† coniugalem copulam consecrasti. ut christi et ecclesie sacramentum presignares in federe nuptiarum : presta quesumus ut quod nostro ministratur officio tua benedictione potius impleatur. Per.

Epistola ad corinthios j^e^ 6^a^ Ca. [15–20]. Fratres : nescitis quoniam corpora vestra . . . glorificate et portate deum in corpore vestro.

Graduale. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tue. ℣. Filii tui sicut nouelle oliuarum in circuitu mense tue. Alleluia. ℣. Mittat vobis dominus auxilium de sancto. et de syon tueatur vos.

Secundum Matheum. 19 Ca. [3–7]. In illo tempore : Accesserunt ad iesum pharisei . . . homo non separet.

Offertorium. In te speraui domine. dixi tu es deus meus. in manibus tuis tempora mea.

Secreta. Suscipe quesumus domine pro sacra connubii lege munus oblatum . et cuius largitor es muneris . [operis *add*: 05. 09. 43. 58I. 60S.] esto dispositor. Per.

Antequam dicatur Pax domini. *dicitur hec benedictio super eos.*

Propitiare domine supplicationibus nostris . et institutionibus tuis . quibus propagationem humani generis ordinasti . benignus assiste . ut quod te auctore iungitur . te auxiliante seruetur. Per.

Oratio. Deus qui potestate virtutis tue de nihilo cuncta fecisti . qui dispositis vniuersitatis exordiis . homini ad imaginem dei facto . ideo inseparabile mulieris adiutorium condidisti . ut femineo corpori de virili dares carne principium . docens quod denuo placuisset institui . nunquam liceret disiungi. Per.

Oratio. Deus per quem mulier iungitur viro . et societas principaliter ordinata . ea bene ✠ dictione dotatur . que nec sola per originalis peccati penam . nec per diluuii est ablata sententiam. Per.

Oratio. Respice propitius super hanc familiam† tuam que maritali iungenda consortio . tua se expetit protectione muniri . sit in ea iugum dilectionis et pacis . fidelis et casta nubat in christo . imitatrixque sanc-

tarum permaneat feminarum . sit amabilis ut rachel viro suo . sapiens ut rebecca . longeua et fidelis ut sara . nihil in ea ex actibus suis ille auctor preuaricationis vsurpet . nexa fidei mandatisque permaneat . vni thoro iuncta . et tactus illicitos fugiat . muniat infirmitatem suam robore discipline : sit verecundia grauis pudore venerabilis . doctrinis celestibus erudita. sit fecunda in sobole . sit probata et innocens . et ad beatorum requiem atque ad celestia regna perueniat. Per.

Super vtrosque Oratio. Et videant ambo filios filiorum suorum vsque ad tertiam et quartam generationem . et ad optatam perueniant senectutem. Per.

Hic dicitur. Pax domini sit semper vobiscum.

Communio. Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet dominum . et videas filios filiorum tuorum pacem super israel.

Postcommunio. Quesumus omnipotens deus . instituta prouidentie tue pio fauore comitare . et hos legitima societate connectos†. longeua pietate custodi. Per.

Benedictio super vtrosque.

Deus abraham et deus ysaac et deus iacob sit vobiscum, et impleat benedictionem suam in vobis : et videatis filios filiorum vestrorum vsque in tertiam et quartam generationem . et postea vitam eternam habeatis sine fine, adiuuante domino nostro iesu christo. qui cum patre et spiritu sancto viuit et regnat deus per omnia secula seculorum. ℟. Amen.

[In 05 (see also 09, 43, 58L, 58I, 60S, 60I, 61.) the prayer beginning *Deus qui potestate* is made into one long undivided prayer, ending with *senectutem*, and after the first section, which ends in *disiungi* there is inserted : Deus qui tam excellenti mysterio coniugalem copulam consecrasti : vt christi et ecclesie sacramentum presignares in federe nuptiarum, followed by : Deus per quem mulier. The *Benedictio super utrosque* is omitted in 05, 09, 60S.]

[58I (see also 58L, 60I) here adds]

Post. Ite missa est. *vel* Benedicamus domino. *antequam det benedictionem sacerdos, immediate ad populum conuersus, super sponsum et sponsam dicat.*

Deus Abraham, deus Isaac [as above].

Moneat sacerdos oratione graui vt sibimetipsis seruent fidem. Orationis tempore et presertim ieiuniorum ac solennitatum, casti maneant : et vir vxorem atque vxor virum diligat, etc. prout spiritus sanctus eos monere docuerit. Postea eos aspergat et det benedictionem, et dicat vt solitum est, euangelium sancti Ioannis. In principio.

[From 58I. See also 60I, 61.]

Pro muliere grauida. [*ne abortiatur :* add 60I, 61.]

Oratio. Deus qui beatam Mariam virginem et matrem in conceptu et partu consecrasti : et Ionam prophetam de ventre ceti, potenti virtute liberasti : famulam tuam N. grauidam protege : et visita eam in salutari tuo : vt proles in ea contenta, in lucem prodeat : et perueniat ad gratiam lauacri salutaris. Per dominum.

Secreta. Suscipe quesumus domine preces et hostias humilitatis nostre: et famulam tuam N. scuto protectionis tue defende: et quam ex gratia tua grauidam esse voluisti: hanc adueniente partus tempore, gratiose libera: et ab omnibus perturbationibus, prolem in ipsa contentam, clementer conserua. Per dominum.

Postcommunio. Adesto supplicationibus nostris omnipotens deus: et famule tue largiflue protectionis tue, munus concede: vt adueniente parturiendi tempore: gratie tue presidium suscipiat: et proles quam ediderit: percepto salutari lauacro: gratiosis feliciter proficiat incrementis. Per dominum.

[From 15. See also 30. 40. 58I.]

Missa ad honorem virginis gloriose pro mulieribus pregnantibus, aut alias† in partu laborantibus.

Introitus. Alma virgo virginum sancta dei genitrix pro deuotis porrige ancillis tuis preces obnixas ad filium que parturientium benigna es auxiliatrix. *ps.* Iurauit dominus dauid veritatem et non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Gloria patri.

Oratio. Exaudi clementissime pater deprecationem serui tui pro pauperibus ancillis tuis in partu nunc aut in posterum laborantibus, maiestati tue deuotissime supplicantis: vt quemadmodum tua eas prouidentia concipere decreuisti: ita ipsa benedictione tua preambula: ad laudem tui sacri nominis virgine gloriosa suffragante celeriter iubeas expedire. Per dominum.

Lectio libri genesis. [iii. 11–20]. In diebus illis. Dixit dominus ad adam. Nunquid ex ligno de quo preceperam ne comederes . . . in puluerem reuerteris.

Graduale. Ecce virgo concepit absque dolore peperit nobis filium: cuius nomen vocatum est iesus. ℣. Qui sicut pluuia in vellus: ita in vterum virginis descendit, et velut sol porta clausa ex vtero virginali ad nos introiuit. Alleluia. ℣. Ad tuum o Maria confugiunt presidium, pauperes in partu laborantes: quas suis queso non despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera eas virgo semper benedicta.

Sequentia. O ancilla christi maria mater dei, pauperem exaudi peccatorem ad te vere suspirantem: ne matrum in vtero pereclitentur† infantuli. Qui propter defectum baptismi macula irretiti originali in limbum condescendunt qui pars est inferni. Maria itaque miseris succurre puerilis,† qui pro graui ade prothoplastorum nebula visione dei ibi carent perpetua. O iudicia dei abissus multa: qui licet sine culpa pereant: non tamen sine causa. Quam igitur pernitiosus pomi vetiti eue fuit morsus: quo mors posteris sic concludebatur. Sed o quam felix fuit et letabundus o maria inter te et angelum dialogus: quo vita orbi toti oriebatur. Pre ceteris autem tuus videtur splendescere beatissimus absque dolore partus. Per quem eue maledictio est soluta: nec minus benedictio est mulieribus cunctis condonata. Ad quem ergo confugient desolate pregnantes nisi ad te cunctarum consolatrix cum lachrimis gementes. Audi eas virgo immaculata, nec parentum aspiciat vnigenitus tuus ad peccata. Sed paruulorum vlulatus clementer exaudi: ne in perhenni subijciantur

inferni formidolosa adeo pena. Eos denique post sacri baptismatis vndam regeneratos : perducere digneris ad eterna gaudia. Amen.

[This sequence is omitted in 58I.]

Secundum Iohannem [xvi. 21. 23. 24.]

In illo tempore. Dixit iesus discipulis suis. Mulier cum parit, tristiciam habet : quia venit hora eius. Cum autem peperit puerum : iam non meminit pressure propter gaudium : quia natus est homo in mundum. Amen amen dico vobis si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite et accipietis vt gaudium vestrum sit plenum.

Offertorium. Aue maria parturientium consolatrix gratia plena infantium subleuatrix ; quia dominus est tecum, ipsorum esto protectrix ; vt pre mulieribus benedicta dicaris : et super omnes benedictus a cunctis christicolis extollatur fructus ventris tui.

Secreta. Piissime christe iesu qui absque doloris contagione ex vtero virginali almifice matris tue in mundum tua dignatione sanctissima porta clausa exire dignatus es : concede propicius : vt fructus ancillarum tuarum in orbem terrarum sanos et incolumes taliter disponas peruenire : quod ad fontem baptismatis, vna tecum regenerari mereantur. Qui viuis.

Communio. In partu puerorum o Maria sol tuus resplendeat misericordie quo lucente cetera post deum luminaria sunt, quasi non sint.

Postcommunio. Beatissime spiritus per quem condita sunt vniuersa, suppliciter tuas exaudire digneris famulas : pro quibus has tue porrigimus pietati preces : vt quemadmodum tuo felici et sancto iuuamine optant liberari : ita suffragiis beatissime matris dei lumen gratie tue in earum celeri expeditione infundere digneris. Qui cum deo patre et filio viuis et regnas deus. Per omnia secula seculorum.

[From 58I.]

Missa ad impetrandam fecunditatem mulieris.

Introitus. Domine exercituum : si respiciens videris afflictionem famule tue : et recordatus mei fueris : nec oblitus ancille tue : dederisque serue tue sexum virilem : dabo eum domino omnibus diebus vite eius. ℣. Deus Israel det tibi mulier petitionem tuam : quam rogasti eum. ℣. Gloria patri.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus : te suppliciter deprecamur : vt sicut post fusas ad te preces : continuum Anne gemitum, dum eam fecundares, in gaudium conuertisti : ita desiderium famule tue .N. vt fecundetur, propitius perfice ad laudem glorie tue : et ab ea sicuti ab Anna Samuelis : et Anna matre matris domini virginis gloriose : atque Helisabet Zacharie vxore : opprobrium sterilitatis benignus auerte. Per.

Lectio libri regum. [I. i. 10–20.]

In diebus illis. Cum esset Anna amaro animo . . . . eo quod a domino postulasset eum.

Graduale. Obsecro mi domine : viuit anima tua : ego sum illa mulier que stetit coram te hic orans dominum pro puero isto. ℣. Orauit† : et dedit mihi dominus petitionem meam : quam postulaui eum : idcirco et ego commodaui eum domino cunctis diebus vite eius.

Halleluia, halleluia. ℣. Visitauit ergo dominus Annam, et concepit: et peperit tres filios et duas filias: et orauit Anna et ait: exultauit cor meum in domino: et exaltatum est cornu meum in deo meo.

Initium sancti euangelij secundum Lucam [i. 5–15.]

Fuit in diebus Herodis regis . . . in natiuitate eius gaudebunt.

Offertorium. Concepit igitur Elisabeth: et occultabat se mensibus quinque dicens: quia sic fecit mihi dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Secreta. Suscipe domine preces nostras cum muneribus hostiarum: quas pro famula tua N. clementie tue: supplici mente deferimus: vt quia affectum filiorum in matrum visceribus inclusisti: merorem infecunditatis ab ea submoueas: et ad concipiendam sobolem misericorditer benedicas. Per.

Communio. Impletum est autem tempus pariendi Elisabeth: et peperit filium: et audierunt vicini et cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa: et congratulabantur ei.

Postcommunio. Celestis vite munus accipientes: quesumus omnipotens deus: vt quod pro famula tua N. deprecati sumus: clementer a tua pietate exaudiri mereamur. Per.

Pro muliere sterili, vt filios concipiat.

Oratio. Deus qui emortuam vuluam Sare ita per Abrahe semen fecundare dignatus es: vt ei contra spem sobolis filius nasceretur: presta famule tue N. pro sua sterilitate deprecanti: vt merorem infecunditatis ab ea submoueas: et ad concipiendam sobolem ei fecunditatem tribuas: et filium quem donaueris, clementer benedicas. Per.

Secreta. Suscipe summe deus pater omnipotens munus oblatum: quod pro famula tua N. conspectui tue maiestatis offerimus: vt ei mentis optatum tribuis desiderium: et ad retinendam sobolem, ei misericorditer benedicas. Per dominum.

Postcommunio. Maiestatis tue clementiam pater omnipotens suppliciter exoramus: vt preces nostras pro sterilitate famule tue N. benignus assumas: vt per hec sacramenta, que sumpsimus: ei fecunditatem et continentiam tribuas. Per dominum.

[From 58I. See also 60I. 61.]

Ordo quando mulier post partum expletis diebus purificationis primo ecclesiam ingreditur. Sacerdos cum suppellicio et stola facta confessione ante ianuam ecclesie aspergat mulierem aqua benedicta. Postea dicat:

Antiphonam. Suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui. *ps.* Magnus dominus et laudabilis nimis: in ciuitate dei nostri in monte sancto eius. Fundatur exultatione vniuerse terre: mons sion latera aquilonis ciuitas regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur: cum suscipiet eam. Quoniam ecce reges terre congregati sunt conuenerunt in vnum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis: in spiritu vehementi conteres naues tharsis. Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate domini virtutum: in ciuitate dei nostri: deus fundauit eam in eternum. Suscepimus deus misericordiam tuam: in medio templi tui. Secundum

nomen tuum deus : sic et laus tuas† in fines terre : iustitia plena est dextera tua. Letetur mons sion et exultent filie iude : propter iudicia tua domine. Circundate sion et complectimini eam : narrate in turribus eius. Ponite corda vestra in virtute eius : et distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera. Quoniam hic est deus deus noster in eternum, et in seculum seculi : ipse reget nos in secula. Gloria patri. *etc. Repetatur antiphona.* Suscepimus. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster *etc.* Et ne nos *etc.* ℣. Saluam fac ancillam tuam domine. ℟. Deus meus *etc.* ℣. Mitte ei domine auxilium de sancto. ℟. Et de sion tuere eam. ℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi *etc.* Dominus vobiscum. *etc.* Oremus.

Oratio. Deus qui per Moysen famulum tuum israelitice plebi mandasti : vt mulier que filium peperisset, quadraginta diebus ab ingressu templi sequestraretur : quesmus vt hanc famulam tuam ab omni inquinamento peccati emundare digneris : quatenus mente et corpore emundata : in sinum matris ecclesie valeat penetrare : et tibi pro suis delictis acceptabile munus deferre. Per christum.

Postea sacerdos dans caput stole mulieri, ingrediatur ecclesiam : et mulieri sacerdos dicat.

Ingredere in domum domini : et adora filium sancte Marie virginis : qui tibi tribuit fecunditatem et prolem. *Deinde sacerdos eam ducens ad altare, legat super eam euangelium.* In principio. *vel* Missus est angelus. *vel* Cum natus. *vel* Postquam impleti sunt dies purgationis. *Postea dicat orationem.* Deus qui salutis eterne. *In fine omnium benedicat eam.* Benedictio Dei omnipotentis, patris ✠ et filii et spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. Amen.

Oratio pro impeditis in matrimonio a demone, vel maleficiis super eos dicenda.

℣. Adiutorium. ℣. Saluum fac seruum tuum et ancillam tuam. ℟. Deus meus *etc.* ℣. Mitte eis domine auxilium de sancto. ℟. Et de sion tuere eos. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Esto eis domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Domine Iesu Christe Dei et beate Marie virginis filius : qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti, in officium et conseruationem et multiplicationem humane nature : et ipsum matrimonium mirabiliter honorasti in aduentu tuo ex primordiis miraculorum tuorum : tu per merita et preces beatissime virginis Marie matris tue et omnium sanctorum et sanctarum tuarum : digneris hos quos matrimonialiter coniunxisti, bene ✠ dicere, ac plene liberare ab omni ligamento fascinamento et maleficio sathane : dare fecunditatem et gratiam, vt libere possint vti matrimonio suo, ad generandum, concipiendum, portandum, pariendum et nutriendum, proles gratas deo et hominibus. In nomine pa ✠ tris et fi ✠ lii et spiritus ✠ sancti. Amen. Ie ✠ sus Marie filius, mundi salus et dominus : sit vobis clemens et propitius. Amen.

ps. Beati omnes qui timent dominum : qui ambulant in viis eius.

Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans : in lateribus domus tue. Filii tui sicut nouelle oliuarum : in circuitu mense tue. Ecce sic benedicetur homo : qui timet dominum. Benedicat tibi dominus ex sion : et videas bona hierusalem : omnibus diebus vite tue. Et videas filios filiorum tuorum : pacem super israel.

Dominus vobiscum. Oremus.

Oratio. Domine Iesu christe fili dei viui, qui vterum beate virginis Marie mirabiliter fecundasti : vt spiritu sancto conciperet, portaret, pareret, ac nutriret : te deum ac hominum saluatorem inuocamus per clementiam tuam : vt his famulis tuis N. fecunditatem donare digneris : vt generare concipere, portare, parere, ac nutrire tibi valeant prolem in vitam eternam. Amen. In nomine pa✠tris et filii✠spiritus ✠sancti. Amen. *ps.* Beatus vir qui non abiit. *Cum quatuor versibus sequentibus vsque* prosperabitur. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Iesus marie filius : mundi salus et dominus : qui beatissime virgini Marie matri sue felicem partum tribuit : ipse tibi concedat, vt possis in vtero portare, fouere, parere, et bene nutrire prolem deo gratam, et hominibus. In nomine pa✠tris et filii✠et spiritus✠sancti. Amen.

Quando mulier non potest retinere filios fiat sequens oratio. Et erit tanquam lignum quod plantatum est *etc. vsque* prosperabitur. Gloria patri. Iesus Marie. *vt supra.*

[From 85. See also 93. 05. 09. 15. 30. 40. 43. 58L. 58I. 60S. 61.]

Missa pro vitanda mortalitate quam dominus clemens papa sextus fecit et constituit seruato ordine infra notato et concessit omnibus predictam missam audientibus .cclx. dies indulgentie : et omnes audientes hanc missam debent portare in manu candelam ardentem per quinque dies quibus debet missa celebrari : et debent per totam missam stare flexis genibus.

Introitus. Recordare domine testamenti tui : et dic angelo percutienti : cesset iam manus tua et non desoletur terra : et ne perdas omnem animam uiuentem. *ps.* Qui regis israel intende. qui deducis uelut ouem ioseph. *V.* Gloria.

Oratio. Deus qui non mortem sed penitentiam desideras peccatorum : populum tuum quesumus ad te conuerte propitius : vt dum tibi deuotus existit iracundie tue ab eo flagella amoueas. per.

Lectio libri regum. [ii. Reg. xxiv. 15–25.] In diebus illis : Immisit dominus pestilentiam . . . et cohibita est plaga ab israel.

Graduale. Misit dominus verbum suum et sanauit eos et eripuit eos de manu eorum. ℣. Confiteantur domino misericordie eius et mirabilia eius filiis hominum. Alleluia. ℣. Saluabo populum meum israel in die malo et ero eis in deum in veritate et iusticia.

Secundum lucam. [iv. 38–44.] In illo tempore. Surgens iesus de synagoga. *Require supra feria .v. post tertiam dominicam in quadragesima.*

Offertorium. Stetit pontifex inter mortuos et viuos habens thuribulum aureum in manu sua et offerens incensum sacrificium placauit iram dei. et cessauit quassatio a domino.

Secreta. Subueniat nobis domine sacrificii presentis oblatio. que nos ab erroribus vniversis potenter absoluat: et a totius eripiat perditionis incursu. per.

Prefatio de natiuitate domini.

Communio. Multitudo languentium et qui vexabantur a spiritibus immundis veniebant ad eum: quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.

Postcommunio. Exaudi nos deus salutaris noster. et intercedente beata dei genitrice semper virgine maria cum omnibus sanctis: populum tuum ab iracundie tue terroribus liberum et misericordie tue fac largitate securum. per eundem.

Expleta missa: et dicto euangelio sancti Ioannis dicuntur infrascripte orationes. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio. Iesu naçarene respice tribulationes que circumdederunt nos vndique et deprecor te toto corde contrito et humili ac in spiritu humilitatis: vt exaudias me de tribulatione: propter quam te inuoco et ad te proclamo alpha et o iesu christe benedicte pater omnium credentium: atque omnium creaturarum: et sicut veram carnem de beata virgine maria suscepisti ita veraciter accipiamus quod a te petimus. ℟. Amen.

Alia oratio. Omnipotens et misericors deus respice propitius super populum maiestati tue subiectum: et ne nos furor seuiens inueniat: dextera tue propitiationis preueniat. Per dominum nostrum.

[58I. has following inserted in its *Missa tempore pestis pro vitanda mortalitate*, as above.]

[Oratio] *De sancto Sebastiano.* Omnipotens sempiterne deus: qui meritis beati Sebastiani martyris tui quandam generalem pestem hominum mortiferam reuocasti: presta supplicibus tuis: vt qui pro simili peste reuocanda sub tua confidentia ad ipsum confugimus: suis meritis et precibus ab ipsa peste et ab omni perturbatione liberemur. Per.

Potest etiam addi oratio s. Rochi. 195. [Vol. i. p. 195.]

[Secreta] *De sancto Sebastiano.* Subueniat nobis domine misericordia tua: et intercedente beato Sebastiano martyre tuo: ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis mereamur te protegente saluari: et suis precibus ab omni peste et tribulatione liberari. Per.

Prefatio de sancto Rochi fo. 102. [Eterne Deus. Qui imminentem niniuitis interitum: sola misericordia tua reuocasti. Quibus etiam propitiator existens: erroris commissi penitentiam prestitisti. Huic etiam quesumus populo tuo: ante conspectum maiestatis tue prostrato et oranti: tribue sanitatem. Et quem desiderat: presta liberationis effectum. Ut quos vnigeniti tui pretioso sanguine redemisti: dire mortalitatis flagello: non patiaris interire. Per eundem christum dominum nostrum. Per quem.]

[Postcommunio] *De sancto Sebastiano.* Da quesumus domine populo tuo salutem mentis et corporis: interuentu beati Sebastiani martyris tui: vt bonis operibus inherendo: tue semper virtutis et suorum meritorum mereatur protectione defendi. Per.

Expleta missa: et dicto euangelio sancti Ioannis dicuntur infrascripte orationes.

Oratio. Auertatur obsecro furor tuus domine, a populo tuo, et a ciuitate ista, et a nobis famulis tuis: et per sanctorum tuorum Sebastiani et Rochi intercessionem, quiescat Deus meus ira tua: et esto placabilis super nequitiam populi tui: et dic angelo percutienti: Cesset iam manus tua, vt non desoletur terra, et ne perdas omnem animam viuentem.

Sanctus deus: Sanctus fortis: Sanctus et immortalis miserere nobis.

Parce domine, parce populo tuo, quem redemisti Iesu Christe sanguine tuo.

Oratio. Deus qui conspicis quia ex nostra prauitate deficimus: concede nobis famulis tuis: sanctis tuis Sebastiano et Rocho intercedentibus salutem mentis et corporis: vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur: pro tui nominis honore ab hac pestifera clade liberemur. Per christum.

Oremus. Omnipotens et misericors deus: respice propitius super populum maiestati tue subiectum: et ne nos furor seuiens inueniat: dextera tue propitiationis preueniat. Per dominum nostrum. etc.

Benedicat nos omnipotens et misericors dominus, pater, et filius, et spiritus sanctus.

[From 05. See also 08. 09. 43. 58L. 60S.]

In solemnitate Iconie domini saluatoris.

Introitus. Sanctus deus: sanctus fortis: sanctus et immortalis: qui tollis peccata mundi miserere nobis. *ps.* Nos autem gloriari oportet in cruce domini nostri iesu christi. *V.* Gloria.

Oratio. Maiestatem tuam clemens et omnipotens deus: fusis precibus exoramus: vt sicut passionem imaginis domini saluatoris cuncta deuotione hodierna die fideliter recolimus: ita a cunctis erepti demonum aduersitatibus: semper tibi placere valeamus. Per eundem.

Lectio epistole beati Pauli apostoli ad romanos [xi. 33–36.] Fratres, O altitudo diuitiarum . . . Ipsi gloria in secula seculorum.

Graduale. Saluator mundi salua nos omnes: per virtutem sancte crucis miserere nobis. ℣. Qui saluasti petrum in mari miserere nobis. Alleluia. ℣. Dicite in gentibus quia dominus regnauit a ligno. Alleluia. ℣. Dulce lignum dulces clauos: dulcia ferens pondera: que sola fuisti digna: sustinere regem celorum et dominum.

Euangelium. Secundum Ioannem. [xii. 31–36.] In illo tempore. Dixit iesus turbis iudeorum. Nunc iudicium . . . vt filii lucis sitis. *Et dicitur* Credo.

Offertorium. Protege domine plebem tuam per signum sancte crucis ab omnibus insidiis inimicorum omnium: vt tibi gratam exhibeamus seruitutem: et acceptabile tibi fiat sacrificium nostrum alleluia.

Secreta. Te domine suppliciter deprecamur: vt plebs tua christiane dedita fidei celebrando: gloriose imaginis filii tui passionem eterne vite consequi premia mereatur. Per eundem.

Prefatio de cruce. Qui salutem humani generis.

Communio. Redemptor mundi signo crucis ab omni nos aduersitate custodi: qui saluasti petrum in mari miserere nobis alleluia.

Postcommunio. Tua nobis piissime deus adsit clementia deprecantibus: vt sicut venerande imaginis filii tui saluatoris mundi venerabile hodierna die celebramus triumphum: ita quoque ab omni infestatione iniquorum spirituum erepti incessanter adhereamus laudibus tuis. Per eundem.

[From 05. See also 08. 09. 15. 30. 40. 43. 58L. 60S. 61.]

Missa quinque plagarum sanctissimi corporis iesu christi.

Introitus. Humiliauit semetipsum dominus iesus christus vsque ad mortem: mortem autem crucis: propter quod et deus exaltauit illum: et donauit illi nomen quod est super omne nomen. *ps.* Misericordias domini in eternum cantabo: in generatione et progenie. ℣. Gloria.

Oratio. Domine iesu christe qui de celis ad terram de sinu patris descendisti: et in ligno crucis quinque plagas sustinuisti: et sanguinem tuum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur: vt in die iudicii ad dexteram tuam audire mereamur: venite benedicti. Qui viuis et regnas in vnitate eiusdem.

Lectio zacharie prophete. Cap. XII. et XIII. [xii. 10. 11. xiii. 6. 7.]

Hec dicit dominus. Effundam super domum . . . planctus magnus in hierusalem: et dicetur. Que sunt plage iste . . . dispergentur oues. Ait dominus omnipotens.

Graduale. Improperium expectauit cor meum et miseriam: et sustinui qui simul mecum contristaretur: et non fuit consolantem me quesiui et non inueni. ℣. Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potauerunt me aceto. Alleluya. ℣. Aue rex noster tu solus nostros miseratus errores: patri obediens ductus es ad crucem: mansuetus vt ouis occisus es: tibi gloria osanna: tibi triumphus et victoria: tibi summe laudis: honoris corona: alleluia.

Sequentia [*om.* 08. 43. 60S. See J. Kehrein, *Lat. Sequenzen*, 1873. No. 57.]

Cenam cum discipulis christe celebrasti. Et mortem apostolis palam nunciasti. Et auctorem sceleris iudam demonstrasti. Et egressus protinus ortulum intrasti.

. . . .

Ad hunc ergo propera fontem saluatoris. Ut fluentis quippiam haurias dulcoris. Atque vite lauacrum : et precium cruoris. hinc tua curatio proflua languoris. Amen.

Lectio euangelii secundum ioannem. Cap. xix [28–35.] In illo tempore. Sciens iesus quod iam omnia . . . perhibuit. Et scimus quia verum est testimonium eius.

Offertorium. Insurrexerunt in me viri absque misericordia : quesierunt me interficere : et non pepercerunt in faciem meam spuere : et lanceis suis vulnauerunt me : et concussa sunt omnia ossa mea.

Secreta. Oblatum tibi domine sacrificium intercedente vnigeniti filii tui passione : viuificet nos semper et muniat. Qui tecum.

Dicitur prefatio de cruce. Qui salutem humani generis.

Communio. Foderunt manus meas et pedes meos : et dinumerauerunt omnia ossa mea.

Postcommunio. Domine iesu christe fili dei viui : qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti : et sanguinem tuum preciosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti : te humiliter deprecamur : vt post obitum nostrum paradisi ianuas nos gaudenter introire concedas. Qui viuis.

[From 05. See also 08. 09. 15. 30. 40. 43. 58L. 60S. 61.]

Missa archangeli Raphaelis.

Introitus. Ego sum azarias ananie magni filius : ego sum raphael archangelus : vnus ex septem qui astamus ante conspectum domini : pax vobis : nolite timere : dominus exaudiuit preces vestras : et misit me ad vos ut curem vos alleluia. *ps.* Benedicite dominum omnes electi eius : agite diem leticie : et confitemini illi. ℣. Gloria.

Oratio. Deus qui beatum raphaelem archangelum thobie famulo tuo properanti preuium direxisti : et inter huius vite ac vie varietates atque discrimina donasti custodem : da quesumus : vt eiusdem protegamur auxilio : quatenus et vite presentis vitemus pericula : et ad gaudia valeamus peruenire celestia. Per.

Lectio libri thobie. Cap. XII. [7–22.] Dixit angelus raphael ad thobiam. Et enim sacramentum regis abscondere bonum est . . . et narrate omnia mirabilia eius.

Graduale. Angelus raphael apprehendit et ligauit demonem. ℣. Magnus dominus noster et magna virtus eius. Alleluia. ℣. Missus est raphael angelus a deo ad thobiam : et salutauit eum : et dixit ei : gaudium sit tibi semper. Alleluya. ℣. Angele medicinalis : mecum sis perpetualis : et sicut fuisti cum thobia : ita sis mecum semper in via. Alleluya. ℣. Angelum nobis : medicum salutis : mitte de celis raphael : vt omnes sanet egrotos : pariterque nostros dirigat actus. Alleluya. ℣. Angelus domini descendit de celo : et accedens reuoluit lapidem : et sedebat super eum.

Euangelium secundum ioannem. [v. 1–5.] In illo tempore. Erat dies festus iudeorum . . . detinebatur infirmitate.

Offertorium. In honore sancti raphaelis psallat militans ecclesia: qui virtute dei patris: ligauit demonem: et thobie visum reddidit: quo priuatus fuerat alleluya.

Secreta. Mitte deus archangelum tuum raphaelem cum medicamine opificem: qui sanitatem mentis reportet et corporis: misericordieque celestis donum infundat: et que in nobis sunt aduersa deponat: vt qui nostra iniquitate tabescimus: de tua quam non meremur pietate letari concedas. Per.

Communio. Iubilus summe laudis resonet in ore omnium: ad laudem beati raphaelis archangeli: vt ipse cuius memoria agitur in terris: ad deum pro nobis intercedat in celis: alleluya.

Postcommunio. Dirigere dignare domine deus in adiutorium nostrum raphaelem archangelum: et quem tue maiestati semper assistere credimus: tibi nostras exiguas preces benedicendas assignet. Per.

[The following rubric is prefixed to the *Missa Archangeli Raphaelis* by 15. 30. and 40.]

Officium sequens archangeli raphaelis potest celebrari pro peregrinantibus vel itinerantibus: vt sicut thobiam sanum et incolumem duxit et reduxit: ita et illum seu illos pro quo vel pro quibus celebratur reducat. Potest etiam celebrari pro cunctis infirmitatibus: et etiam a demonio obsessis: eo quod angelus est medicinalis: quia thobie visum restituit et saram vxorem filii sui a demonio liberauit.

[From 05. See also 09. 60S. 61.]

Missa pro iter agentibus.

Introitus. Esto mihi in deum protectorem: et in domum refugii: vt saluum me facias: quoniam firmamentum meum: et refugium meum es tu: et propter nomen tuum dux mihi eris: et enutries me. *ps.* In te domine speraui: non confundar in eternum. ℣. Gloria.

Oratio. Adesto domine supplicationibus nostris: et viam famulorum tuorum in salutis tue prosperitate dispone: vt inter omnes vie et vite huius varietates: tuo semper protegamur auxilio. Per.

Lectio libri genesis. Cap. xlvi. [1–4.] In diebus illis. Profectus est israel cum omnibus . . . inde adducam te reuertentem.

Graduale. Uniuersi qui te expectant: non confundentur domine. ℣. Uias tuas domine notas fac mihi: et semitas tuas edoce me. Alleluia. ℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam et salutare tuum da nobis.

Secundum mattheum. Cap. x. [7. 11–16]. In illo tempore. Dixit iesus discipulis suis. Euntes autem predicate: dicentes: quia appropinquabit regnum celorum. In quamcunque ciuitatem vel castellum . . . in die iudicii quam illi ciuitati.

Offertorium. Gressus meos dirige domine secundum eloquium tuum: vt non dominetur mei omnis iniustitia.

Secreta. Propitiare domine supplicationibus nostris: et has oblationes quas tibi offerimus pro famulis tuis benignus assume: vt viam illorum et

precedente gratia tua dirigas : et subsequente comitare† digneris : vt de actu atque incolumitate eorum : secundum misericordie tue presidia gaudeamus. Per.

Communio. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis : vtinam dirigantur vie mee ad custodiendas iustificationes tuas.

Postcommunio. Tua nos domine famulos tuos sperantes in te que sumpsimus sacramenta custodiant : et contra omnes aduersos tueantur incursus. Per.

[From 05. See also 09. 58I. 60S.]

Benedictio peregrinorum.

Et primo benedictio pere.

In nomine domini nostri iesu christi accipe hanc sportam et habitum peregrinationis tue : vt bene castigatus et sanatus : atque emundatus : peruenire merearis ad sanctorum limina quo peregre [*lege:* pergere] cupis : vt peracto itinere ad nos incolumis : et alacriter reuerti merearis. Per.

Benedictio baculi.

Accipe hunc baculum ad sustentationem itineris vie peregrinationis tue : vt vincere valeas omnes inimicos : et securus peruenire possis ad limina tuta sanctorum : vt peracto obedientie cursu ad nos reuertaris cum gaudio. Per.

Benedictio vestium.

Domine deus bonarum virtutum dator : et omnium benedictionum largus infusor tibi subnixius deprecamur : vt hanc vestem bene✠dicere : et sancti✠ficare digneris : et hac indutus famulus tuus .N. salutem anime : et corporis requiem acquirere possit. In nomine pa✠tris et filii.

[From 58I.]

Missa pro iter agentibus in qua dicenda est oratio de tribus Magis post primam orationem.

Introitus. Esto mihi [as above].

Oratio. Adesto domine [as above].

De tribus Magis. Oratio. Deus qui tres Magos. [See above, vol. ii. p. 283.]

Lectio libri Genesis. In diebus illis. Profectus est Israel. [as above].

Graduale. Angelis suis mandauit de te : vt custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te : ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Halleluia, halleluia. ℣. Ostende nobis domine misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis, halleluia.

Euangelium. Quanta audiuimus facta in capharnaum. [Luc. iv. 23–30.] *quere supra in feria .ii. post tertiam dominicam quadragesime.*

Offertorium. Perfice gressus meos in semitis tuis : vt non moueantur vestigia mea inclina domine aurem tuam et exaudi verba mea : mirifica misericordias tuas : qui saluos facis sperantes in te domine.

Secreta. Propitiare domine [as above].

De tribus magis. Secreta. Deus qui es gloria sanctorum. [See above, vol. ii. p. 283.]

Communio. Tu mandasti [as above].

Postcommunio. Deus infinite misericordie et maiestatis immense: quem nec spatia locorum, nec interualla temporum. [See above, vol. ii. p. 283.]

De tribus magis. Postcommunio. Omnipotens sempiterne deus: qui misisti. [See above, vol. ii. p. 284.]

Benedictio peregrinorum quando detur eis sporta.

In nomine [*cf.* the blessings above].

[From 08. See also 09. 15. 30. 40. 43. 58I. 58L. 61.]

Missa de dulcissimo et sacratissimo nomine domini nostri iesu christi: quam qui deuote celebrauerit habebit pro qualibet vice annorum tria millia de vera indulgentia concessa a domino bonifatio papa sexto: et dicitur cum tribus candelis.

Officium. In nomine iesu omne genu flectatur celestium terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur quia dominus noster iesus christus in gloria est dei patris. ℣. Laudate dominum quoniam bonus est dominus: psallite nomini eius quoniam suaue est. Gloria. Gloria in excelsis.

Oratio. Deus qui gloriosissimum nomen iesu christi vnigeniti filii tui domini nostri fecisti fidelibus tuis summe suauitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius vt omnes qui hoc nomen iesu deuote venerantur in terris: et sancte consolationis dulcedinem in presenti percipiant et in futuro gaudium exultationis et interminabilis beatitudinis obtineant in celis. Per eundem.

Lectio actuum apostolorum. [iv. 8–13.] In diebus illis: Petrus repletus spiritu ... oporteat nos saluos fieri.

℟. Constituit deus pater ad dexteram suam iesum christum in celestibus supra omnem potestatem principatum et virtutem et dominationem: et omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed etiam in futuro et omnia subiecit sub pedibus eius. ℣. Adiuua nos deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui domine libera nos et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Alleluia. ℣. Dulce nomen domini nostri iesu christi melos auri. mel in esu: cordis verus iubilus effugat mundi sibilum.

Infra lxx. Tractus. Dulce nomen iesu christi omnem auferens tristitiam iocundans mentem iubilo. ℣. Tollit luctum affert fructum et obductum et seductum purgat cor a nubilo. ℣. Nominatum inuocatum honoratum predicatum semper sonat dulciter. ℣. Tam peccatum quam reatum condonatum expurgatum reddit mulcens leniter. ℣. Nos defendit nos accendit nos intendit et extendit hoc nomen in gaudium.

Tempore paschali. Alleluia. ℣. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo: petite et accipietis. Alleluia. ℣. Surgens iesus

dominus noster stetit in medio discipulorum suorum et dixit eis : pax vobis.

Post ascensionem secundum Alleluia. Non vos relinquam orphanos : vado et venio ad vos : et gaudebit cor vestrum.

[Dulcis Iesus Nazarenus : sequence in 30. 40. 43. 58L. 60S. 61. See Kehrein, *Lat. Sequenzen*, No. 33.]

Euangelium. [Matth. ii. 13–19.] Angelus domini apparuit. *Quere supra in die sanctorum innocentium.*

[Postquam impleti sunt. Luc. ii. 21 in 58I. 61.]

Offertorium. In nomine meo demonia eijcient linguis loquentur nouis serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint non eis nocebit : super egros manus imponent et bene habebunt.

Secreta. In veneratione nominis dilectissimi filii tui domini nostri iesu christi saluatoris nostri deus misericordiarum pater deuotis mentibus hostias immolamus suppliciter deprecantes : vt earum virtute cunctis egentibus prestetur auxilium : et in eodem nomine delectantes : salutarem sui propositi consequantur effectum. Per eundem.

Communio. Uincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen nouum scriptum : quod nemo scit nisi qui accepit.

Postcommunio. Sacrosancta mysteria que sumpsimus domine in honorem nominis complacentissimi filii tui domini nostri iesu christi deuotis precordiis recolentes quesumus vt incrementa nobis spiritualis exultationis accumulent : et affectum nostrum ad hoc salutiferum nomen iesu nobis imprimendum accendant : et ad iubilandum in iesu salutari nostro dulcissimo tota mentis attentione promoueant. Per eundem.

Dicto Dominus vobiscum. Ite missa est. *non det benedictionem sacerdos sed conuersus ad altare dicat sequentem orationem videlicet.*

℣. Per singulos dies benedicam tibi. ℟. Et laudabo nomen tuum in seculum seculi. ℣. Laudabo nomen dei cum cantico. ℟. Et magnificabo eum in laude. ℣. Sit nomen domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et vsque in seculum. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis. ℟. Et in medio ecclesie laudabo te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Oratio. Domine iesu christe in cuius ditione cuncta sunt posita : et non est qui possit resistere voluntati tue : qui dignatus es nasci : mori et resurgere. per mysterium sacratissimi corporis tui et per quinque vulnera et effusionem preciosissimi sanguinis tui miserere nobis sicut tu scis necessarium esse animabus et corporibus nostris libera nos a diaboli tentatione et ab omnibus quibus nos angustiatos esse cognoscis : nosque in seruitio tuo vsque in finem conserua atque corrobora. et verba [*lege :* veram] emendationem spatiumque vere penetentie nobis tribue : et remissionem omnium peccatorum post obitum largire : et fac nos fratres sorores amicos et inimicos inuicem diligere. et cum omnibus sanctis tuis in regno tuo sine fine gaudere. Qui cum deo patre et spiritu sancto viuis et regnas deus per omnia secula seculorum amen.

Et tunc conuertat se et benedicat populo vt moris est.

[From 58L.]

Missa in honorem nominis domini nostri Iesu Christi tempore natiuitatis: videlicet die .xv. mensis Ianuarii.

Introitus. Puer natus est nobis: et filius datus est nobis: cuius imperium super humerum eius: et vocabitur nomen eius: magni consilii angelus. *ps.* Cantate domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. ℣. Gloria patri et filio. Gloria in excelsis.

Oratio. Deus qui glorioso admirabili nomine: dilectum vnigenitum tuum redemptorem nostrum Iesum appellari voluisti: concede propitius: vt qui eiusdem domini et Saluatoris nostri celebriter† veneramur in terris: ipsius consortio perenniter perfruamur in celis. Qui tecum.

Lectio Esaie Prophete [ix. 2. 6. 7.] Hec dicit dominus Deus. Populus qui ambulabat . . . vsque in sempiternum.

Graduale. Speciosus forma pre filiis hominum: diffusa est gratia domine Iesu in labiis tuis. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi: lingua mea calamus scribe velociter scribentis. Alleluia. ℣. Ecce iam venit plenitudo temporis: in quo misit deus filium suum in terris. Alleluia. ℣. Paruulus filius natus est nobis: et vocabitur nomen eius admirabilis: deus: fortis.

Sequentia sancti euangelii Secundum Lucam [ii. 21.] In illo tempore. Postquam consummati sunt dies . . . in vtero conciperetur. *Et dicitur.* Credo.

Offertorium. Exulta satis filia Sion: predica filia Hierusalem: ecce rex tuus venit tibi: Sanctus et Saluator mundi: alleluia.

Secreta. Omnipotens sempiterne deus: dirige actus nostros in beneplacito tuo: vt in nomine dilecti filii tui domini nostri Iesu Christi mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum.

Prefatio de natiuitate. Quia per incarnati.

Communio. Ecce nomen domini venit de longinquo: et claritas eius replet orbem terrarum alleluia.

Postcommunio. Refecti alimonia celesti, et spirituali poculo recreati: quesumus domine deus noster: vt in nomine dilectissimi filii tui: dei ac domini nostri Iesu christi: et hic bonis operibus iugiter abundare: et in futuro, cum electis tuis in regno tuo, mereamur sine fine gaudere. Per eundem dominum nostrum.

Missa in honorem nominis domini nostri Iesu christi: tempore ascensionis eius videlicet in dominica infra octauam ascensionis.

Introitus In nomine Iesu omne genu [see above.] . . . dei patris. Alleluia. *ps.* Cantate domino canticum nouum: Cantate domino omnis terra. ℣. Gloria patri. Gloria in excelsis.

Oratio. Deus qui gloriosissimum . . . obtineant in celis. Per eundem [see above; with unimportant variations].

Et fit commemoratio de dominica et de ascensione.

Lectio Actuum apostolorum. C. 4. [8–12.] In diebus illis. Petrus repletus . . . oporteat nos saluos fieri. [*see above*].

Alleluia. ℣. Usquemodo non petistis quicquam in nomine meo: petite et accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum. Alleluia. ℣. Dulce

nomen domini nostri Iesu Christi : mel in ore : in aure melos, et in corde iubilus.

Sequentia sancti Euangelii secundum Mattheum. [i. 20–24]. In illo tempore. Angelus domini apparuit in somnis Ioseph . . . Quod est interpretatum nobiscum Deus. *Et dicitur.* Credo.

Offertorium. In nomine meo . . . et bene habebunt. Alleluia. [see above]

Secreta. Omnipotens sempiterne deus . . . operibus abundare. Qui tecum. [See above].

Prefatio de Ascensione. Per Christum dominum nostrum. Qui post resurrectionem.

Communio. Clarifica me pater apud te ipsum : claritate quam habui priusquam mundus fieret : alleluia.

Postcommunio. Refecti alimonia celesti . . . sine fine gaudere. [See above].

[From 60S.]

Missa in celebritate sanctissimi, et diuini nominis Iesu a sede Romana : Paulo iij. Pontifice visa, et approbata celebranda die .xv. Ianuarij ex primo Clementis septimi instituto. Cum similibus indulgentijs, que habentur in celebritate misse corporis christi.

Introitus. In nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, et omnis lingua confiteatur : quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris, alleluia. *ps.* Domine dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. ℣. Gloria. *Repetitio* In nomine.

Oratio. Deus qui gloriosum, et ineffabile nomen tuum : a seculis absconditum : nobis in vnigenito filio tuo manifestare dignatus es : quesumus vt sicut in ipso salutari nomine Iesu nos redemisti : ita et saluare digneris. Per eundem.

Lectio actuum apostolorum. [iv. 8–12]. In diebus illis : Petrus spiritu sancto . . . oporteat nos saluos fieri.

Gradale. Saluos fac nos domine deus noster, et congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini sancto tuo : et gloriemur in gloria tua. ℣. Tu domine pater noster : et redemptor noster, a seculo nomen tuum. Alleluia. ℣. Laudem domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum eius. Alleluia. ℣. Exaltabo te deus meus rex, et benedicam nomini sancto tuo Iesu in seculum, et in seculum seculi.

Post septuagesimam dicitur tractus. Domine deus virtutum conuerte nos, et ostende faciem tuam, et salui erimus : sonet vox tua in auribus meis. ℣. Vox enim tua dulcis, et facies decora nimis. ℣. Oleum effusum nomen tuum Iesu : ideo adolescentule dilexerunt te.

Sequentia. [See Kehrein, *Lat. Sequenzen*, No. 35.]

Lauda sion saluatoris Iesu . . . . . Nobile signaculum. Amen.

Sequentia sancti euangelij secundum Lucam. [ii. 21.]

Postquam consummati sunt dies octo . . . in vtero conciperetur. Credo.

Offertorium. Confitebor tibi domine deus meus in toto corde meo. Et glorificabo nomen tuum in eternum. Quoniam tu domine suauis, et mitis, et multe misericordie omnibus inuocantibus te alleluia.

Secreta. Benedictio tua clementissime deus, qua omnis viget creatura : sanctificet quesumus hoc sacrificium nostrum : quod ad gloriam nominis filij tui domini nostri Iesu Christi offerimus tibi : vt maiestati tue placere possit ad laudem, et nobis proficere ad salutem. Per eundem.

Prefatio de natiuitate.

Communio. Omnes gentes, quascunque fecisti : venient, et adorabunt coram te domine, et glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es deus solus : alleluia.

Postcommunio. Oratio. Omnipotens eterne deus, qui creasti, et redemisti nos, respice propitius vota nostra : et sacrificium salutaris hostie : quod in honorem nominis filij tui domini nostri Iesu Christi maiestati tue obtulimus : placido, et benigno vultu suscipere digneris, vt gratia tua nobis infusa, sub glorioso nomine Iesu : eterne predestinationis : titulo gaudeamus nomina nostra scripta esse in celis. Per eundem.

[From 58L.]

Missa desponsationis beatissime virginis Marie a sede apostolica Paulo. iii. pontifice approbata, cuius festum celebratur octaua die mensis martii.

Introitus. Letare filia Hierusalem et exulta : letare in die desponsationis tue : et in die letitie cordis tui. *ps.* Quam pulchri sunt gressus tui filia principis? quam pulchra es : et quam decora charissima in delitiis? *V.* Gloria patri, et filio.

Oratio. Deus, qui beatissimam filii tui genitricem Mariam : vt virginalis partus eius, viri honestaretur consortio : Ioseph iusto desponsari voluisti : da nobis quesumus : et tanti coniugii mysterium digne celebrare in terris : et de Christi et ecclesie vnione : in matrimonii federe figurata : perpetuo gaudere in celis. Per eundem Christum.

Lectio Esaie prophete. [lxii. 1–6.] Propter sion non tacebo : et propter Hierusalem non quiescam : ... Et gaudebit super te deus tuus.

Graduale. Missus est gabriel angelus a deo in ciuitatem Galilee : cui nomen nazareth : ad virginem desponsatam viro : cui nomen erat Ioseph : de domo Dauid. *V.* Et nomen virginis Maria : et ingressus Angelus ad eam, dixit : Aue gratia plena : dominus tecum. Alleluia, alleluia. *V.* Tota pulchra es amica nostra : et macula non est in te : Ueni de libano sponsa : veni de libano : veni, coronaberis : alleluia.

Tractus. Gaude Maria virgo : sponsa Dei altissimi. *V.* Que pro tutamine partus tui sanctissimi. *V.* Iuncta connubio Ioseph : viri iustissimi. *V.* Fuisti exemplum thalami purissimi. *V.* Dei genitrix intercede pro nobis.

Sequentia sancti euangelii secundum Mattheum. ca. 2. [i. 18–22.] Cum esset desponsata mater Iesu maria Ioseph ... populum suum a peccatis eorum.

Offertorium. Exurgens autem Ioseph a somno : fecit sicut preceperat ei angelus : et accepit Mariam coniugem suam.

Secreta. Sacrificii huius oblationem et hostiam tibi quesumus omnipotens deus : beate Marie virginis, filii tui domini nostri Iesu Christi genitricis, precatio sancta conciliet : vt sacrum munus, quod altari tuo sancto, pro salute nostra offerri precepisti : tam pie matris

fauore intercedente : tue sit placitum maiestati. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Communio. Hortus conclusus sponsa et semper virgo Maria : hortus conclusus : fons signatus : fons : hortorum : puteus aquarum viuentium : que fluunt impetu de libano.

Postcommunio. Multiplica domine Iesu Christe misericordiam tuam super nos : et sacrosanctum hec† sacrificium : ad laudem, et honorem beatissime genetricis tue : suppliciter tibi oblatum : benigno fauore prosequere, vt per idipsum animas nostras in regno celestis perpetuum in holocaustum tibi offerre, et sacrificare valeamus. Qui viuis et regnas.

[From 15. See also 30. 40.]

Missa compassionis siue lamentationis beate marie.

Introitus. Uide domine quoniam tribulor conturbatus est venter meus submersum est cor meum in memetipsa : quoniam amaritudine plena sum. *ps.* Posuit me dominus desolatam : tota die merore confectam. ℣. Gloria.

Oratio. Pietatem tuam quesumus domine iesu clementissime qui pro nobis peccatoribus mortem subiens temporalem : nec proprio corpori, nec materno dolori parcere voluisti : presta vt nos passionis tue memoriam eiusdem matris tue mestítiam recolentes vobiscum felicitatis eterne simus participes. Qui viuis et regnas.

Lectio hieremie prophete. Tre. II. [13–19.] In diebus illis. Dixit hieremias propheta. Cui comparabo vel cui assimilabo te virgo . . . cor tuum in conspectu domini.

℟. Omnes inimici mei audierunt malum meum : letati sunt quoniam tu fecisti : quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me. ℣. Multi enim gemitus mei et cor meum merens : quia dominus me posuit amaram. Alleluya. ℣. Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in israel : et in signum cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

In tempore paschali secundum Alleluya. ℣. Omnes inimici eius apprehenderunt eam inter angustias : vnde desolata est vehementer. non habens consolatorem. *Aliud* Alleluya *in eodem Responsorio.* ℣. Posuit me dominus desolatam tota die merore confectam.

In tempore quadragesime. Tractus. Usquequo domine obliuisceris me in finem, usquequo auertis faciem tuam a me. ℣. Quamdiu ponam consilia in anima mea : dolorem in corde meo per diem. ℣. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me respice et exaudi me domine deus meus. ℣. Quoniam tu domine suauis et mitis et multe misericordie, omnibus inuocantibus te. ℣. Intende anime mee et libera eam : propter inimicos meos eripe me. ℣. Et ne auertas faciem tuam a puero tuo quoniam tribulor velociter exaudi me. ℣. Respice in me et miserere mei : da imperium puero tuo, et saluum fac filium ancille tue.

Prosa. [Kehrein, *Lat. Sequenzen*, No. 229.]

Meste parentis christi marie, lachrymas eya nunc recole : plebs agni mitis cruore redempta. Qui generis humani collapsi maculas, purpurea

lauit in cruce vulnera: passus cruenta . . . Sic o virgo dolorosa fac nos tecum lachrymosa sentire suspiria, vt post vitam infelicem habeamus te ductricem: ad eterna gaudia. Amen.

Secundum Iohannem. 19. [25–28.] In illo tempore: Stabant iuxta crucem iesu mater . . . accepit eam discipulus in suam.

Offertorium. Christum cruce mortuum nostros ob defectus: meste† mater aspicit pios per affectus: et clamauit lacerans capillos et pectus: heu me iacet filius meus hic despectus: nuper inter milia qui fuit electus: sicut myrrhe fasciculus meus sic dilectus.

Secreta. Hostias quesumus omnipotens redemptor in memoriam acerbissime passionis tue lachrymosique doloris quem pia virgo mestissima mater pro tua morte sustinuit tibi sacrandas propicius intuere et presta: vt per eas pietatis et compassionis lachrymas tibi viuo et vero deo cum eadem sanctissima matre tua valeamus offerre. Qui viuis.

Prefatio. Qui salutem.

Communio. De cruce depositum videns corpus christi: mesta mater lachrymans atque vultu tristi: dixit O dulcissime fili quid fecisti: quod has penas asperas et mortem subisti.

Postcommunio. Redemptor noster atque saluator eterne deus fragilem facturam tuam nos pietatis oculo respicere digneris et presta: vt qui preciosi corporis et sanguinis tui sacrosancta mysteria pro totius populi salute oblata percepimus: per hec ad compassionis lachrymas tueque mestissime matris devotionem facilius attendamus. Qui viuis.

[For *Missa de compassione beate Marie virginis que celebratur in totum duplex. Sabbato post dominicam.* Quasimodo geniti. From 43. 58L. 60I. See above, vol. ii. p. 281.]

[From 15. See also 30. 40.]

Missa nostre domine pietatis per papam sixtum quartum edita.

Introitus. Cunque vidisset iesus matrem et discipulum stantem quem diligebat dixit matri sue: mulier ecce filius tuus. *ps.* Stabant iuxta crucem iesu mater eius et soror matris eius maria cleophe: et maria magdalene. *V.* Gloria.

Oratio. Interueniat pro nobis quesumus domine iesu christe apud tuam sanctam clementiam nunc et in hora mortis nostre: piissima virgo maria mater tua: cuius sacratissimam animam in hora benedicte passionis tue doloris gladius pertransiuit, et in gloriosissima resurrectione tua ingens gaudium letificauit. Qui viuis.

Lectio hieremie prophete. Tren. I. [20–22]. Uide domine quoniam tribulor . . . fient similes mei. Multi enim gemitus mei: et cor meum merens.

Graduale. Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo. *V.* Exaudiuit dominus vocem fletus mei: dominus orationem meam suscepit. Alleluya. *V.* Ante thronum trinitatis miserorum miserata, pia mater pietatis, sis pro nobis aduocata: causam nostre paupertatis, coram deo sustine: et veniam de peccatis, seruis tuis obtine.

Tractus. Stabat mater dolorosa iuxta crucem lachrymosa: dum pendebat filius. *V.* Cuius animam gementem, contristantem et

dolentem: pertransiuit gladius. ℣. Pro peccatis sue gentis, iesum vidit in tormentis: et flagellis subditum. ℣. Uidit suum dulcem natum, morientem desolatum: cum emisit spiritum. ℣. Fac nos virgo custodiri, cruce christi premuniri: confoueri gratia. ℣. Quando corpus morietur fac vt animabus detur: paradisi gloria. Amen.

In tempore paschali ℟. *non dicitur sed* Alleluya. Alleluya. ℣. Dulcis mater dulci nato, dulcia ferens pondera, que sola fuisti digna sustinere regem celorum et dominum. Alleluya. ℣. Ante thronum *vt supra.*

Secundum Lucam. II. [33–36]. In illo tempore. Erant pater et mater iesu . . . ex multis cordibus cogitationes.

Offertorium. Non dubito quia deus lachrymas meas in conspectu suo non amiserit et fecit nos dominus: ideo venite ad me.

Sécreta. Domine iesu christe qui pendens in cruce de custode matri prouidisti mitissime pater: ex qua humanam sumpsisti naturam: presta quesumus: vt interueniente merito cruciatus anime eiusdem virginis matris ipsa humanitas tua sub sacramento intellecta: sit contra quecunque mala nobis in presidium in augmentum gratie et vite eterne premium. Qui viuis.

Prefatio de beata maria. Et te in pietate.

Communio. Quia fleuisti coram me ego quoque exaudiui te et dixit dominus: en colligam te in pace?

Postcommunio. Domine iesu christe fons pietatis qui moriens in cruce acerrime dolori cordis tue mitissime genetricis multo plus fuisti compassus quam sororibus flentibus: quarum dilectione motus fuisti lachrymis: exaudi propicius preces nostras et presta: vt qui eiusdem matris tue piissime tristem cruciatum recolimus meritis illius valeamus perpetua mentis et corporis salute gaudere: ab omnique dolore et tristitia liberari. Qui uiuis et regnas.

[From 61.]

Missa de Spasmo, siue de pietate gloriose virginis, Marie, matris Iesu Christi.

Introitus. O uos omnes qui transitis per viam: attendite et videte: si est dolor similis, sicut dolor meus. ℣. Plorans ploraui in nocte: et lachryme in me in maxillis meis: non est qui consoletur me, ex omnibus charis meis. ℣. Gloria patri, et filio, et spiritui.

Alius introitus. Deducant oculi mei lachrymas per noctem, et diem, et non taceant: quoniam contritione magna contrita est virgo filij populi mei: plaga pessima vehementer. *Psalmus.* Domine, deus salutis mee: in die clamaui et nocte coram te. Gloria patri.

Oratio. Interueniat pro nobis, quesumus domine Iesu Christe, apud tuam sanctam clementiam: nunc et in hora mortis nostre, pijssima virgo Maria mater tua: cuius sacratissimam animam, in hora benedicte passionis tue, doloris gladius pertransiuit: et in gloriosa resurrectione tua ingens gaudium letificauit. Qui viuis et regnas in vnitate spiritus sancti.

Lectio Ieremie prophete. Ex trenis i. d. [i. 9–13.] Vide domine afflictionem meam ... ... posuit me desolatam.

Graduale. Ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quam longe factus est a me consolator : conuertes animam meam ? ℣. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea : hec recolens in corde meo, in Deo sperabo. ℣. Alleluia. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. *vel* ℣. Alleluia. Ad locum supplicij virgo cum venisset, ac filium suum et crucem conspexisset : augentur planctus et lachryme : multiplicantur dolores et angustie.

Tempore quadragesime. Tractus. Audite obsecro vniuersi populi, et videte dolorem meum : vocaui amicos, et ipsi deceperunt me. ℣. Uide domine : quoniam tribulor : conturbatus est venter meus : subuersum est cor meum in memetipsa : quoniam amaritudine plena sum. ℣. Omnes inimici mei audierunt malum meum : letati sunt, quoniam tu fecisti : multi enim gemitus mei : et cor meum merens.

Sequentia [Kehrein, *Lat. Sequenzen.* No. 223]. Stabat mater dolorosa ... ... paradisi gloria. Amen.

Sequentia sancti euangelij secundum Lucam. Ca. 2. [33–36.]

In illo tempore. Erant Ioseph et Maria mater Iesu mirantes ... ... cordibus cogitationes.

Offertorium. Clamor christi matrem angustiat : nullus planctus plangentem sanat : est vtrique summa compassio : nam precessit summa dilectio.

Secreta. Munera, quesumus domine, que oculis tue maiestatis offerimus : ob commemorationem doloris, quem beatissima semper virgo Maria, in morte vnigeniti filij tui domini nostri Iesu christi in corde suo pijssimo affectu pertulit : et vincula nostre prauitatis absoluant : et intercedente eadem dei genitrice : tue nobis misericordie dona concilient. Per eundem.

Prefatio de cruce. Qui salutem humani. Folio 112 [*see above*, vol. i. p. 205.]

Communio. Virgo, tuum filium in cruce plagatum : redde, tuis precibus, miseris placatum.

Postcommunio. Refecti vitalibus alimentis omnipotens deus : maiestatem tuam suppliciter exoramus : vt sicut commemorationem doloris pijssimi, quem in passionem filij tui domini nostri Iesu Christi beatissima semper virgo dei genitrix Maria in cordis sui penetralibus sustinuit, deuoto celebramus affectu : ita eadem passione filij tui et pie matris angustia interuenientibus : peccata, que fecimus, digne plangere : et tue gratie visitatione : nos respirare concede. Per eundem dominum nostrum.

[From 15. See also 30, 40.]

Missa compassionis siue lamentationis beate marie.

Introitus. Vide domine quoniam tribulor conturbatus est venter meus submersum est cor meum in memetipsa : quoniam amaritudine plena sum. *ps.* Posuit me dominus desolatam : tota die merore confectam. ℣. Gloria.

Oratio. Pietatem tuam quesumus domine iesu clementissime qui pro nobis peccatoribus mortem subiens temporalem : nec proprio corpori,

nec materno dolori parcere voluisti: presta vt nos passionis tue memoriam eiusdemque matris tuo mestitiam recolentes vobiscum felicitatis eterne simus participes. Qui viuis et regnas.

Lectio hieremie prophete. Tre. 2. [13—19.]

In diebus illis. Dixit hieremias propheta. Cui comparabo vel cui assimilabo te virgo filia hierusalem? Cui adequabo te et consolabor te, virgo filia syon? Magna est enim velut mare, contritio tua. Quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt et mouerunt capita sua super filiam hierusalem. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt et fremduerunt† dentibus suis, et dixerunt. En ista est dies quem expectabamus? Fecit dominus que cogitauit: compleuit sermonem suum quem preceperat a diebus antiquis. Destruxit et non pepercit: et letificauit super te inimicum: et exaltauit cornu hostium tuorum. Deduc quasi torrentem lachrymas per diem et noctem, non des requiem tibi: neque taceat pupilla oculi tui. Consurge et lauda in nocte in principio vigiliarum. Effunde sicut aquam cor tuum in conspectu domini.

℟. Omnes inimici mei audierunt malum meum: letati sunt quoniam tu fecisti: quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me. ℣. Multi enim gemitus mei et cor meum merens: quia dominus me posuit amaram. Alleluya. ℣. Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in israel: et in signum cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

In tempore paschali secundum Alleluya. ℣. Omnes inimici eius apprehenderunt eam inter angustias: vnde desolata est vehementer, non habens consolatorem.

Aliud Alleluya *in eodem* ℟. ℣. Posuit me dominus desolatam tota die merore confectam.

In tempore quadragesime. Tractus. Usquequo domine obliuisceris me in finem, vsquequo auertis faciem tuam a me. ℣. Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem. ℣. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me respice et exaudi me domine deus meus. ℣. Quoniam tu domine suauis et mitis et multe misericordie, omnibus inuocantibus te. ℣. Intende anime mee et libera eam: propter inimicos meos eripe me. ℣. Et ne auertas faciem tuam a puero tuo quoniam tribulor velociter exaudi me. ℣. Respice in me et miserere mei: da imperium puero tuo, et saluum fac filium ancille tue.

Prosa. [Kehrein, *Lat. Sequenzen*, No. 229.]

Meste parentis christi marie ......ad eterna gaudia.

Secundum Iohannem 19. [25–28.] In illo tempore. Stabant iuxta crucem iesu mater ......accepit eam discipulus in suam.

Offertorium. Christum cruce mortuum nostros ob defectus: meste† mater aspicit pios per affectus: et clamauit lacerans capillos et pectus: heu me iacet filius meus hic despectus: nuper inter milia qui fuit electus: sicut myrrhe fasciculus meus sic dilectus.

Secreta. Hostias quesumus omnipotens redemptor in memoriam acerbissime passionis tue lachrymosique doloris quem pia virgo

mestissima mater pro tua morte sustinuit tibi sacrandas propicius intuere et presta : vt per eas pietatis et compassionis lachrymas tibi viuo et vero deo cum eadem sanctissima matre tua valeamus offerre. Qui viuis.

Prefatio. Qui salutem.

Communio. De cruce depositum videns corpus christi : mesta mater lachrymans atque vultu tristi : dixit o dulcissime fili quid fecisti : quod has penas asperas et mortem subisti.

Postcommunio. Redemptor noster atque saluator eterne deus fragilem facturam tuam nos pietatis oculo respicere digneris et presta : vt qui preciosi corporis et sanguinis tui sacrosancta mysteria pro totius populi salute oblata percepimus : per hec ad compassionis lachrymas tueque mestissime matris deuotionem facilius attendamus. Qui viuis.

[From 30. See also 40. Printed immediately before the ordinary of the Mass.]

In festo recollectionis festorum beate marie ad missam.

Introitus. Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes sub honore marie virginis : de cuius solennitate gaudent angeli et collaudant filium dei. *ps.* Eructauit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi. Gloria patri.

Oratio. Deus qui nos conceptionis : natiuitatis : annunciationis : visitationis : purificationis : assumptionis beate et gloriose virginis marie gaudia et solennitates recolendo letificas : concede nobis sic laudibus eius et seruitio digne insistere, ut eam in omni necessitate et angustia et (precipue in hora mortis) presentem et auxiliatricem sentiamus : et tecum post mortem per ipsam et cum ipsa gaudere mereamur in celis. Per dominum nostrum iesum.

Lectio libri sapientie. [Canti. 2. c. and 4.]

Surge propera amica mea speciosa mea : et veni. Columba mea in foraminibus petre : in cauernis macerie. Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis est : et facies tua decora. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es : oculi tui columbarum : absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum : que ascenderunt de monte galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum : que ascenderunt de lauachro. Tota pulchra es amica mea : et macula non est in te. Veni de libano sponsa mea : veni de libano veni coronaberis. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa : vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, et in vno crine colli tui. Mel et lac sub lingua tua : et odor vestimentorum tuorum : sicut odor thuris.

Graduale. Luce splendida fulgebis et omnes fines terre adorabunt te. ℣. Nationes ex longinquo ad te venient et munera deferentes adorabunt in te dominum : et terram tuam sanctificationem habebunt. Alleluia. ℣. Beati omnes qui diligunt te o virgo et qui gaudent super pace tua : benedictus dominus qui exaltauit te et posuit super te regnum eius in secula seculorum.

Secundam Lucam. [i. 39.–48.] In illo tempore. Exurgens maria abijt ...spiritus meus in deo salutari meo.

Offertorium. Beatam me dicent omnes generationes : quia fecit michi dominus magna qui potens est et sanctum nomen eius.

Secreta. Domine iesu christe sanctarum cogitationum inspirator, qui seruos tuos gloriosam matrem tuam honorare docuisti: concede propitius ipsius solennia cum sacrificio laudis debita cum deuotione celebrare in terris, vt eius intercessione regnando iubilare mereamur in celis. Qui viuis et regnas.

Prefatio de beata maria virgine.

Communio. Benedicite deum celi cum timore et exaltate ei cum tremore: quia fecit nobiscum misericordiam cum in celis matrem pro nobis esse voluit aduocatam.

Postcommunio. Concede quesumus omnipotens deus sacramenta que sumpsimus in honore beate marie virginis matris: immaculato corde seruare: vt nunc festa eius colentes, post excessum huius vite ad ipsius mereamur transire consortium. Per.

[From o8.]

Missa de eterna sapientia id est domino iesu christo.

Officium. Lex domini irreprehensibilis conuertens animas: testimonium dei fidele: sapientiam prestans paruulis. *Tempore resurrectionis* alleluia. ℣. Celi enarrant gloriam dei: et opera manuum eius annunciat firmamentum. Gloria. Gloria in excelsis.

Oratio. Deus qui per coeternam tibi sapientiam hominem cum non esset condidisti perditumque misericorditer reformasti: presta quesumus vt eadem corda nostra inspirante: te tota mente amemus: et ad te toto corde curramus. Per eundem.

Lectio libri sapientie. Cap. 9. [1–5.] In diebus illis: Orauit salomon dicens: Deus patrum nostrorum et domine misericordie ... filius ancille tue.

℟. Initium sapientie timor domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi. ℣. Dilectio eius custodia legum est quia omnis sapientia timor domini. Alleluia. ℣. Dominus sapientia fundauit terram: stabiliuit celos prudentia.

Infra lxx. Tractus. Mitte domine sapientiam de celis sanctis tuis et a sede magnitudinis tue: vt mecum sit et mecum laboret et sciam quod acceptum sit apud te. ℣. Scit illa enim et intelligit et deducet me in operibus meis sobrie et custodiet me in sua potentia et erunt accepta opera mea. ℣. Sensum tuum quis sciet nisi dederis sapientiam et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis. ℣. Nam per sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi a principio.

Tempore pascali primum alleluia. Dominus sapientia *etc. vt supra. secundum* alleluia. ℣. Surrexit pastor bonus qui posuit animam suam pro ouibus suis: et pro suo grege mori dignatus est.

Euangelium. Confitebor† tibi domine pater. [*Matt. xi.* 25–30.]

Offertorium. Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam et proposui pro luce habere illam: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. *Tempore resurrectionis* alleluia.

Secreta. Sanctificetur quesumus domine deus huius nostre oblationis munus tua cooperante sapientia: vt tibi placere possit ad laudem et nobis proficere ad salutem. Per eundem.

Communio. Dixi sapientie soror mea es: et prudentiam vocaui amicam meam. *Tempore resurrectionis* alleluia.

Postcommunio. Infunde quesumus domine deus per hec sacramenta que sumpsimus tue cordibus nostris lumen sapientie: vt te veraciter agnoscamus et fideliter diligamus. Per eundem.

[58L. prints the three collects of the mass above as a *Missa ad postulandam sanctam sapientiam.*]

[From 58I.]

Missa ad postulandam sapientiam.

Introitus. Cogitaui in corde meo abstrahere a vino carnem meam: vt animum meum transferrem ad sapientiam: deuitaremque stultitiam: optaui, et datus est mihi sensus: inuocaui, et venit in me spiritus sapientie. *ps.* In maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis. *V.* Gloria.

Oratio. Deus qui per coeternam tibi sapientiam, hominem cum non esset, condidisti: perditumque misericorditer reformasti: presta quesumus: vt eadem pectora nostra inspirante: te tota mente amemus: et ad te toto corde curramus. Per dominum. [*See above*, vol. i. p. 477.]

Lectio libri sapientie. Ca. 9. [1–12]. Orauit ad dominum rex salomon dicens. Deus patrum ... Et erunt accepta opera mea, in conspectu tuo: domine deus noster.

Graduale. Si diuitie appetuntur in vita: quid sapientia locupletius que operatur omnia? et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes. *V.* Sobrietatem enim et prudentiam docet: et iustitiam: et virtutem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Halleluia, halleluia. *V.* O sapientia que ex ore altissimi prodiisti, attingens a fine vsque ad finem: fortiter: suauiterque disponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentie, halleluia.

Euangelium. [Matth. xi. 25–30.] Respondens Iesus dixit. Confiteor tibi domine pater celi. fo. 223. *Require in communi martyrum.*

Offertorium. Sentite de domino in bonitate: et in simplicitate cordis querite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illo: neminem enim diligit deus: nisi eum: qui cum sapientia inhabitat: doctrix est enim discipline dei: et electrix operum illius.

Oratio. [*Secreta.*] Sanctificetur quesumus deus huius nostre oblationis munus, tua cooperante sapientia: vt tibi placere possit ad laudem: et nobis proficere ad salutem. Per dominum. [*See above*, vol. i. p. 477.]

Communio. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a, deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei: postulet autem in fide nihil hesitans: qui enim hesitat: non estimet, vt accipiat aliquid a domino.

Postcommunio. Infunde quesumus domine deus, per hec sacramenta que sumpsimus, tue cordibus nostris lumen sapientie: vt te veraciter

agnoscamus: et fideliter diligamus Per dominum nostrum. [*See above*, vol. i. p. 477.]

[From 15. See also 30. 40.]

Missa de sancto Sebastiano tempore pestis.

Introitus. Egregie martyr sebastiane princeps et propagator sanctissimorum preceptorum, ecce nomen tuum in libro vite celestis ascriptum est: et memoriale tuum non derelinquetur in secula. *ps.* Benedicam dominum in omni tempore.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus: qui meritis beati sebastiani martyris tui gloriosissimi quandam generalem pestem epydimie hominibus pestiferam reuocasti: presta supplicibus tuis: vt qui pro simili peste reuocanda ad ipsum sub tui confidentia confugerint ipsius meritis et precibus ab ipsa peste epydimie et ab omni tribulatione liberentur. Per dominum.

Epistola. Beatus vir qui in sapientia. *In communi.* [*see above*, vol. i. p. 412.]

Graduale. O sancte sebastiane christi athleta gloriosissime, qui pro christo reliquisti terrene militie principatum et suscepisti magnum supplicium intercede pro nobis ad dominum. ℣. O sancte sebastiane christi martyr egregie cuius meritis tota lombardia fuit liberata a peste mortifera. libera nos ab ipsa et a maligno hoste. Alleluia. ℣. O sancte sebastiane nos trementes ac flentes imploramus tuum clemens auxilium: vt possimus obtinere per te pestis mortifere apud christum remedium.

In tempore paschali secundum Alleluia. ℣. O quam gloriosum est templum tuum beate sebastiane in quo diuina est promissio et peccatorum remissio splendor et lux perpetua et sine fine leticia.

Sequentia. Omnes vna decantemus, et martyris personemus: laudem sebastiani.

Hic a deo est electus, per quem morbus est eiectus: languoris pestiferi.

Nam se christo totum vouit, qui vult nos hunc venerari: christus eum nunc promouit, in patria celesti.

Cunctis hic subuenit mestis, statim est sedata pestis: sui causa meriti.

Ipsum si nunc deprecemur, nomen quoque veneremur: martyris sanctissimi.

Morbus iste non nocebit, sed mortiferum delebit: populum qui tenuit.

Nos pro nostris tantis malis, tam obsorbet† pestis: talis quod tota gens gemuit.

Sancte martyr sebastiane salua nos a morte epydimie.

Nostra grauia ob peccata: terra ista desolata non sit pie quesumus.

Sed nos considera: et in nobis cessa pestem iam te petimus.

Ista per te gens sit tuta: et ne noceat acuta febris hec in patria.

Ex quo nostra spes est tota, in te martyr nunc remota: sit pestis mortifera.

O sancte sebastiane, nostre gentis sero manet†: conseruator et tutor sis.

Et dominum deprecare, vt a nobis reuocare: valeat vesana pestis.

Ex tua sancta prece, ne sit morbus nobis nece. Sed recedat ab hac domo. Amen dicat omnis homo.

Euangelium. Nisi granum frumenti. *In communi fo. v.* [*See above,* vol. i. p. 414.]

Offertorium. Martyr egregie decus militie athleta fidei ora natum dei vt auertat a nobis indignationem suam martyr suffragia effunde pia vt epydimia nec sit noxa† in hac patria nec in alia per subsidia posce tua nos tibi talia damus preconia hic prece premia da nobis pia miles eya alleluya.

Secreta. Subueniat nobis domine tua misericordia intercedente beato sebastiano martyre tuo vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente saluari et suis precibus a peste epydimie et ab omni tribulatione liberari. per dominum.

Communio. Beatus es et bene tibi erit egregie martyr sebastiane quia cum sanctis gaudebis et cum angelis exultabis in eternum.

Postcommunio. Da quesumus domine populo tuo salutem mentis et corporis: vt interuentu beati sebastiani martyris tui bonis operibus inherendo tuo semper munere et suorum meritorum interuentione, a peste epydimie et ab omni tribulatione mereamur tua protectione defendi. per dominum.

[From 58I.]

Alia missa in festo sancti Sebastiani et tempore pestis: ad missam.

Introitus. Gaudeamus omnes in domino diem festum celebrantes: sub honore beati Sebastiani martyris: de cuius solennitate gaudent angeli, et collaudant filium dei. *ps.* Exultate iusti in domino: rectos decet collaudatio. *V.* Gloria patri.

Alius introitus in missis votiuis. Egregie martyr [*as above*].

Oratio. Deus, qui nos beati Sebastiani martyris tui solennitate, *vel commemoratione* letificas, presta quesumus: vt eius meritis, et intercessione, ab omni morbo, et peste liberemur, et benedictionem tuam largiter, et gratiam consequi mereamur. Per.

Epistola. Beatus vir qui in sapientia morabitur. [*see above.*] In communi unius martyris.

Graduale. O Sebastiane [see above, omitting *in tempore paschali*].

Euangelium. Amen dico vobis nisi granum frumenti. *In communi vnius martyris.* [*See above.*]

Offertorium. O beate Sebastiane martyr dei, magna est fides tua, intercede pro nobis ad dominum Iesum christum: vt a peste, seu morbo: tuis precibus liberari valeamus.

Secreta. Accepta sit in conspectu tuo domine nostra deuotio, et eius nobis fiat supplicatione salutaris: pro cuius solennitate, *vel commemoratione* defertur. Per dominum nostrum Iesum Christum filium.

Communio. Beatus es [*as above*].

Postcommunio. Esto domine plebi tue sanctificator et custos: vt beati Sebastiani martyris tui intercessione saluemur: et ab omni morbo, et peste liberemur. Per dominum nostrum Iesum Christum filium.

[From 43. See also 61.]

In sancti simpliciani episcopi et confessoris.

Introitus. Statuit ei dominus testamentum pacis, et principem fecit eum : vt sit illi sacerdotii dignitas in eternum. *ps.* Memento domine dauid, et omnis mansuetudinis eius. *V.* Gloria.

Oratio. Deus qui lamentationes in piorum gaudium vertis : quique fideli et prudenti seruo multa polliceris : concede : vt per intercessionem beati simpliciani confessoris tui atque pontificis : summa celi habitacula penetremus : et cum sanctis angelis tuis sine fine intermissione gaudeamus. Per dominum.

Lectio epistole beati pauli apostoli. Ad hebreos, ca. 7. [23-28.] Fratres. Plures facti sunt sacerdotes, secundum legem, iccirco . . . Hoc enim fecit semel se offerrendo : dominus noster iesus christus.

Gradale. Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit deo. *V.* Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi Alleluia. *V.* Rosa vernans charitatis, lilium castitatis, stella simplicitatis,† vas syncere puritatis, riuus dulcis pietatis, pater et amicus.

Sequentia sancti euangelii secundum Lucam. ca. 12 [35-41]. In illo tempore. Dixit iesus discipulis suis. Sint lumbi vestri . . . hora non putatis, filius hominis veniet.

Offertorium. Inueni dauid seruum meum, oleo sancto vnxi eum : manus enim mea auxiliabitur ei : et brachium meum confortabit eum.

Secreta. Sacrificia domine, que in honore sancti Simpliciani confessoris tui atque pontificis tue offerimus maiestati : nobis sint ad salutem efficacia : et tue placita pietati. Per.

Communio. Fidelis seruus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam : vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio. Quesumus omnipotens deus, vt qui celestia alimenta percepimus : intercedente beato simpliciano confessore tuo atque pontifice : per hec contra omnia aduersa muniamur. Per.

[From 40. See also 15. 30.]

Missa de sancto anthonio confessore. Ad missam.

Introitus. Scitote quoniam mirificauit dominus sanctum suum : dominus exaudiuit eum stolam glorie induit eum. *ps.* Et factus est in pace locus eius et habitatio eius in sion. *V.* Gloria.

Oratio. Deus qui concedis obtentu beati anthonii confessoris tui morbidum ignem extingui, et membris egris refrigeria prestari : fac nos ipsius meritis a gehenne incendiis liberatos, integros mente et corpore tibi feliciter in gloria presentari. Per dominum.

Lectio libri sapientie. Ecce confessor magnus qui in vita sua probatus est et cognitus est in verbis suis fidelis. Quasi stella matutina in medio nebule, et quasi sol refulgens : sic beatus anthonius refulsit in templo dei. Quasi arcus refulgens [Eccli. l. 8-11]. . . . Et vestiri eum consummatione virtutis.

Graduale. Domine preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. *V.* Uitam petijt et

tribuisti ei: longitudinem dierum in seculum seculi. Alleluia. ℣. Felix corpus et felix anima felix virtus sancti antonii, cuius nomen collaudant omnia et verentur gentes et populi flammas ignis orchi incendia mox suffocat victor demonium† : tua prece laude et gloria nos copulat sanctorum cetui alleluia. ℣. O antoni pastor inclyte qui cruciatos reficis, morbos sanas et destruis, ignis calorem extinguis, pie pater ad dominum ora pro nobis miseris.

Sequentia. [Kehrein, *Lat. Sequenzen*, No. 496.] In hac die letabunda, nostri chori plebs iocunda: psallat cum tripudio. . . . . Pro presenti concione vt in celi regione: melos canat glorie. Amen.

Secundum mattheum xix. [27–30]. In illo tempore dixit symon petrus ad iesum. Ecce nos reliquimus . . . vitam eternam possidebit.

Offertorium. Ueritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Secreta. Sacrificium nostrum quesumus domine benignus intende: quo sicut beati anthonii precibus cruciatus temporales sanare non desinis: ita exui misericorditer impetremus ab eternis. Per dominum.

Communio. Beatus seruus quem cum venerit dominus inuenerit vigilantem: amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio. Prosit nobis domine ad salutem sacri muneris oblatio: per quam beati anthonii fulti suffragio: exemplo ipsius omnia tela nequissima ignea extinguentes, sanctorum mereamur adiungi consortio. Per dominum.

[From 43.]

Missa in solennitate beati Antonini archiepiscopi florentini per papam clementem .vii. approbata.

Introitus. Statuit ei dominus testamentum pacis, et principem fecit eum, vt sit illi sacerdotii dignitas in eternum. *ps.* Misericordias domini in eternum cantabo. ℣. Gloria patri et filio.

Oratio. Sancti antonini domine confessoris tui atque pontificis meritis adiuuemur: vt sicut te in illo mirabilem predicamus: ita in nos misericordem fuisse gloriemur. per.

Epistola. Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit domino. *Require in communi confessorum.* [*See above*, vol. i. p. 433.]

Alleluia. ℟. Antoninus electus dei pontifex, virgo et doctor est glorificandus. Alleluia. ℣. Surrexit pastor bonus qui posuit animam suam pro ouibus suis, et pro suo grege mori dignatus est alleluia.

Sequentia. Antonino magno laudes concinnant christiani. O presul mitissime, tuis christo precibus, reconcilientur peccatores. Mors et vita celesti, refulsere nitore, viuens et mortuus, micat signis. Da pastor benigne, doctor clemens et digne. Muniri nos hic viuentes, non deseri abs te morientes. Virtutum da vestes, culparum tolle pestes. O doctrine lampas et morum, noctem disperge densam errorum. Credendum est esse illum nunc magnum in celo: qui tanto christi exarsit zelo. Scimus te gemina ornatum gloria vere, o virgo o doctor nos intuere: alleluia.

Euangelium. Ego sum pastor bonus. *Require supra in ij. dominica post pasca.* Credo.

Offertorium. Meditabor in mandatis tuis que dilexi valde : et leuaui manus meas ad mandata tua : que dilexi, alleluia.

Secreta. Sacrificium nostrum domine beatus antoninus sacerdos maiestatis tue oculis reddat acceptum : qui se tibi dum vixit : sanctam et placentem hostiam immolauit. per.

Communio. Fidelis seruus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam : vt det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio. Vitali cibo recreatas gratias tibi domine agimus : et rogamus, vt quod ad gloriam sumpsimus sancti tui presulis antonini : eius precibus sit nobis contra hostiles impetus auxilium. Per.

[From 43. See also 58L.]

Missa de .xiiii. sanctis auxiliatoribus.

Introitus. Multe tribulationes iustorum, et de his omnibus liberauit eos dominus, dominus custodit omnia ossa eorum, vnum ex his non contereretur. *ps.* Benedicam dominum in omni tempore semper laus eius in ore meo. ℣. Gloria patri.

Oratio. Omnipotens et mitissime deus, qui electos sanctos tuos georgium, blasium, erasmum, vitum, panthaleonem, chrystophorum dionysium, cyriacum, achacium, eustachium, egidium, catherinam, margaritam, et barbaram, specialibus priuilegiis pre cunctis aliis decorasti, vt omnes qui in necessitate eorum implorant auxilium : secundum tue promissionis gratiam, petitionis sue salutarem consequantur effectum, da nobis quesumus nostrorum veniam peccatorum, et ipsorum intercedentibus meritis, ab omnibus nos aduersitatibus libera, ac deprecationes nostras benignus exaudi. Per dominum.

Lectio. Sancti per fidem. [*See above*, vol. i. p. 424.]

Graduale. Clamauerunt iusti et dominus exaudiuit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. ℣. Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu saluabit. Alleluia. ℣. Iusti epulentur, et exultent in conspectu dei, et delectentur in letitia.

Euangelium. Respondens iesus dixit. Confiteor tibi pater. [*See above*, vol. i. p. 428.]

Offertorium. Mirabilis deus in sanctis suis, deus israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi sue, benedictus deus.

Secreta. Suscipe quesumus domine clementissime deus preces et hostias quas in sanctorum georgii, blasii, erasmi, panthaleonis, viti, christophori, dionysii, Cyriaci, achacii, eustachii, egidii, catherine, margarite, et barbare honore[m] deferimus : vt qui nostre iustitie fiduciam non habemus : eorum qui tibi singulariter placuerunt, intercedentibus meritis et precibus : petitionum nostrarum te pium largitorem sentiamus. per.

Communio. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, deus tentauit eos, tanquam aurum in fornace probauit eos et sicut holocausta accepit eos.

Postcommunio. Sacramenta quesumus domine que sumpsimus intercedentibus sanctis tuis georgio, blasio, erasmo, panthaleone, vito, christophoro, dionysio, Cyriaco achacio, eustachio, egidio, catherina,

margarita, et barbara, nobis prosint ad veniam: et quorum petitionem clementer exaudisti: eorum interuenientibus meritis, in cunctis necessitatibus nostris nos refoue miseratus auxilio: et ab omni aduersitate nos potenter custodi. Per.

[From 43. See also 58L.]

Missa de beato Iob contra morbum gallicum.

Introitus. Miserere mihi domine, quoniam ad te clamaui tota die quia tu domine suauis ac mitis es, et copiosus in misericordia omnibus inuocantibus te. *ps.* Inclina domine aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. Gloria.

Oratio. Deus in te sperantium fortitudo: adesto propitius intercedente beato iob cum omnibus sanctis tuis inuocationibus nostris: vt sicut post vlceris pessimi variorumque flagellorum pressuras duplicia pro omnibus amissis reddidisti: ita nobis misericordiam tuam largiter impartiaris. Per.

Lectio libri iob. Ca. 2 [1–11.] Factum est cum quadam die venissent . . . non peccauit iob labiis suis.

Graduale. Ego dixi domine miserere mei: sana animam meam quia peccaui tibi. ℣. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eam dominus. Alleluia. ℣. Domine deus salutis mee, in die clamaui et nocte coram te.

Euangelium. Homo quidam erat diues. [Luc. xvi. 19–31.]

Offertorium. Uir erat in terra hus nomine iob, simplex et rectus ac timens deum, quem sathan petiit ut tentaret, et data est ei potestas a domino in facultate et in carne eius, perdiditque omnem substantiam ipsius et filios, carnem quoque eius graui vlcere vulnerauit.

Secreta. Hostias tibi domine dicatas placatus assume et intercedente patiente iob cum omnibus sanctis tuis: vlcus pessimum a supplicibus tuis remoue: vt restituti pristine sanitati, te digne possint laudare. Per.

Communio. Aufer a me opprobrium et contemptum: quia mandata tua exquisiui domine.

Postcommunio. Tantis domine repleti muneribus, auxilium tuum intercedente beato iob cum omnibus sanctis tuis imploramus, vt flagella iracundie tue a populo tuo amoueas, et nos tibi digne seruire concedas. Per.

[From 08. See also 15. 30. 40. 58I.]

In sancti iob confessoris et prophete. [*ad postulandam patientiam in aduersitatibus* 10. maij. *add.* 58I.]

Introitus. Scio quod redemptor meus viuit: et in nouissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo deum saluatorem meum: alleluia. *ps.* Quem visurus sum ego ipse et non alius: et oculi mei conspecturi sunt. ℣. Gloria.

Oratio. Deus qui ad instructionem posterorum beatum iob confessorem tuum atque prophetam patientie virtute in tentationibus decorasti concede propitius: vt eius exemplo presentis vite

incommoda equanimiter perferamus et future commoda consequi mereamur. per.

Lectio libri iob. Ca. i. [i. 1–6.] In diebus illis : Uir erat . . . sic faciebat iob cunctis diebus.

Graduale. Cum audisset iob nunciorum verba sustinuit patienter dicens : nudus egressus sum de vtero matris mee nudus reuertar illuc. ℣. Dominus dedit dominus abstulit sicut domino placuit ita factum est : sit nomen domini benedictum. Alleluia. ℣. Induta est caro mea putredine et sordibus pulueris cutis mea aruit et contracta est. Alleluia. ℣. In omnibus his non peccauit iob labiis suis : neque stultum aliquid contra deum locutus est.

Secundum lucam. Ca. 12 [xii. 32–35.] In illo tempore : Dixit iesus discipulis suis. Nolite timere pusillus grex . . . et cor tuum erit.

Offertorium. Uir erat in terra hus nomine iob : simplex et rectus ac timens deum : quem sathan petiit vt tentaret : et data est ei potestas a domino in facultate et in carne eius : perdiditque omnem substantiam ipsius et filios carnem quoque eius graui vlcere vulnerauit alleluia.

Secreta. Suscipe domine propitius hostias quibus beati iob meritis te placari voluisti : et nobis salutem corporis et anime potenti pietate restitui. Per dominum.

Communio. Iob seruus meus orabit pro vobis : faciem eius suscipiam : vt non vobis imputetur stultitia : alleluia.

Postcommunio. Sumptis domine muneribus sacris : quesumus clementiam tuam : vt sicut nouissimis beati iob benedixisti : sic nobis et omnibus famulis tuis benedicere et auxiliari tua pietate digneris : Per dominum.

[From 15. See also 30. 40.]

De sancto iohanne baptista et de sancto iohanne euangelista.

Oratio. Deus qui preclaros et preelectos amicos tuos beatum ioannem baptistam et beatum ioannem euangelistam precipue commendasti, et prerogatiua dilectionis tue pre ceteris sublimasti : eorum precibus inclinatus, ita nos innocenter in hoc exilio facias conseruari : vt in fine mereamur eis in patria sociari. per.

Secreta. Benedic et sanctifica hanc oblationem quesumus domine amantissimorum tuorum beati iohannis baptiste et beati iohannis euangeliste intercessionibus, et nos tibi hostiam viuentem facias placentem. Qui viuis.

Postcommunio. Placeat clementie tue saluator eterne predilectis et caris tuis beato iohanne baptista et beato iohanne euangelista pro nobis supplicantibus vt sic nos sacris dilectionis tue fluentis inebries : quatinus cum tradideris regnum deo patri nos eidem purificatis animabus corporibusque representes. Qui viuis et.

De quinque sanctis priuilegiatis.

Oratio. Deus qui sanctorum tuorum dionysii, georgii christofori, blasii, et egidii memoriam facientibus et eorum opem poscentibus auxilium in tribulatione promisisti : ipsorum nos quesumus tuere presidiis, sicut in omnibus fidelis es verbis. Per.

Secreta. Munera domine que pro beatorum tuorum dionysii, georgii, christofori, blasii, et egidii : commemoratione deferimus propicius respice : et mala omnia que iuste meremur auerte. Per.

Postcommunio. Populum tuum domine vnigeniti filii tui sanguine precioso redemptum propicius respice : et beatis dionysio, georgio, christoforo, blasio, et egidio intercedentibus concede vt hoc tuum sacramentum et remissionem criminum et gratiam nobis obtineat meritorum. Per dominum.

De quinque virginibus priuilegiatis.

Oratio. Deus qui beatarum virginum tuarum margarete, Katherine, marthe, christine, et barbare patrocinium inuocantibus promisisti succursum, da vt earum meritis et precibus promissionis tue consequamur effectum. Per.

Secreta. Intende quesumus domine altaribus tuis pro sanctarum martyrum tuarum Katherine, margarete, marthe, christine, et barbare commemoratione proposita vt sicut per hec beata mysteria gratiam contulisti, ita nobis indulgentiam largiaris. Per.

Postcommunio. Sanctarum tuarum Katherine margarete, marthe, christine, et barbare quesumus domine supplicatione placatus et veniam nobis tribue et remedia sempiterna concede. Per dominum.

[From 43. See also 58L. 58I. 60I. 61.]

In festo sancti francisci de paula, fundatoris fratrum minorum [*minimorum* 58L. 58I.] *quod celebratur secunda die aprilis ad missam.*

Introitus. Melius est modicum iusto : super diuitias peccatorum multas quoniam brachia peccatorum conterentur : confirmat autem iustos dominus. *ps.* Noli emulari in malignantibus neque zelaueris facientes iniquitatem. ℣. Gloria patri et filio etc.

Oratio. Deus humilium celsitudo : qui beatum franciscum de paula confessorem tuum : sanctorum tuorum gloria sublimasti, tribue quesumus, vt eius meritis et imitatione : promissa humilibus premia feliciter consequamur. per.

Lectio libri sapientie. [Eccli. xlv. 1–6.] Dilectus deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. ... et legem vite et discipline.

Graduale. Factus est dominus protector meus : et eduxit me in latitudinem : saluum me fecit. ℣. Retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam : et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Tractus. Iste pauper clamauit, et dominus exaudiuit eum, et ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. ℣. Immittet angelos dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. ℣. Gustate et videte quoniam suauis est dominus : beatus vir qui sperat in eo.

In tempore paschali. Alleluia. ℣. Deus amat iudicium et non derelinquet sanctos suos : in eternum conseruabuntur. Alleluia. ℣. Custodi innocentiam et vide equitatem, quoniam sunt reliquie homini pacifico.

Sequentia sancti euangelii secundum lucam. ca. 12. [xii. 32–37.]

In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Nolite timere

pusillus grex ... confestim aperiant ei. *Et dicitur.* Credo. *secundum rubricam in fine positam.*

Offertorium. Salus iustorum a domino et protector eorum est in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos dominus et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et saluabit eos, quia sperauerunt in eo.

Secreta. Hec dona deuote plebis domine quibus tua cumulamus altaria : beati francisci de paula meritis : tibi grata nobisque salutaria : te miserante reddantur. Per dominum.

Communio. Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis : mihi fecistis.

Postcommunio. Sumpta domine sacramenta celestia beato francisco de paula confessore tuo intercedente precamur : vt et temporalis vite subsidia nobis conferant et eterne. Per.

Nota quod credo dicitur per totam octauam ab omnibus : in ecclesiis minorum : [*minimorum :* 58L. 58I.] *et aliis ecclesiis altaribus et capellis : sub nomine sancti francisci de paula erectis : vel in quibus imago ipsius sancti depingitur. Nec non a fratribus etiam tertiariis : et deuotis ordinis huiusmodi vbilibet constitutis.*

Post octauam non dicitur. Gloria. *nec* Credo. *nisi ex deuotione huiusmodi missa in dominica vel in alio festo solenni celebraretur.*

[From 43. See also 58L. 58I. 61.]

Missa votiua sancti francisci de paula.

Introitus. Iustus vt palma florebit : sicut cedrus libani multiplicabitur plantatus in domo domini in atriis domus dei nostri. *ps.* Bonum est confiteri domino et psallere nomini tuo altissime. ℣. Gloria patri.

Oratio. Deus qui superbis resistis : et humilibus gratiam tribuis : exaudi preces nostras : et intercedente beato francisco de paula confessore tuo : da nobis alta non sapere : sed maiestati tue humili semper corde seruire. Per.

Epistola. Dilectus deo. *vt supra.*

Graduale. Domine preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. ℣. Uitam petiit a te tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi. Alleluia. ℣. Iustus germinabit sicut lilium, et florebit in eternum ante dominum.

A septuagesima vsque ad pascha. Tractus.

Iste pauper clamauit et dominus exaudiuit eum : et ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. ℣. Immittet angelos dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. ℣. Gustate et videte quoniam suauis est dominus, beatus vir qui sperat in eo.

In tempore paschali. Alleluia. ℣. Dominus amat iudicium : et non derelinquet sanctos suos : in eternum conseruabuntur. Alleluia. Custodi innocentiam et vide equitatem : quoniam sunt reliquie homini pacifico.

Euangelium vt supra.

Offertorium. Fidelis seruus et prudens : quem constituit dominus super familiam suam vt det illis in tempore tritici mensuram.

Secreta. Hostias quas in memoriam passionis vnigeniti filii tui :

tibi domine dicamus placatus accipias : et intercedente famulo tuo beato francisco de paula : fac ut nobis proficiant ad salutem. Per.

Communio. Amen dico vobis : quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam eternam possidebitis.

Postcommunio. Concede quesumus omnipotens deus : vt intercedente beato francisco de paula confessore tuo : illius sempiterne felicitatis capiamus effectum : cuius per hec mysteria pignus accepimus. Per.

Fit etiam memoria de eo .ij. die maii Oratio. [Here 58I. adds the following mass which is omitted by 43. 58L. 61.]

Oratio. Servitutis nostre tibi domine iura soluentes : quesumus : vt beati Francisci de paula confessoris tui patrocinio suffragante : in nobis tua dona multiplices : et ab omnibus tuearis aduersis. Per.

Secreta. Hostias tibi domine tuorum suscipe populorum : quas tibi in beati Francisci de paula festiuitate dicamus : vt nobis conferant tue propitiationis auxilium. Per.

Postcommunio. Celesti domine sacramento consolati, te supplices deprecamur : vt intercedente beato Francisco de Paula : ab omni mentis, et corporis periculo custodias : et per ipsum tue indulgentie largitatem concedas. Per dominum.

[From 43. See also 58L. 61.]

In translatione sancti Bartholomei de india in lipari.

Introitus. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui deus, nimis confortatus est principatus eorum. *ps.* Domine probasti me et cognouisti me : tu cognouisti sessionem meam et resurrectionem meam. ℣. Gloria.

Oratio. Deus : qui apostoli tui bartholomei corpus in arca ad tuos contra fluctus gestantes transire voluisti : concede quesumus : vt illius patrocinio tueamur : cuius acta deuotis laudibus frequentamus. per.

In translatione sancti Bartholomei de lipari in beniuentum.†

Oratio. Omnipotens sempiterne deus : qui apostolum tuum bartholomeum pro salute italici populi ex lipari beneuentum transuehendo concedere es dignatus : presta vt cuius gaudemus triumphis muniamur et precibus. Per dominum.

Lectio epistole beati pauli apostoli. Ad ephesios. [ii. 19–22.]

Fratres. Iam non estis hospites et aduene ... in habitaculum dei in spiritu sancto.

Graduale. Nimis honorati sunt amici tui deus, nimis confortatus est principatus eorum. ℣. Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur. Alleluia. ℣. Uos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis : ego autem in medio vestrum sum : sicut qui ministrat.

Sequentia sancti euangelii secundum mattheum. [x. 1–9.] In illo tempore. Conuocatis dominus iesus duodecim discipulis ... gratis accepistis, gratis date.

Offertorium. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus, nimis confortatus est principatus eorum.

Secreta. Per hec mysteria domine : quesumus [quae] in commemora-

tione apostoli tui bartholomei offerimus: illo interueniente a cuncti purgemur offensis. Per.

Communio. Uos estis qui secuti estis me: sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus israel.

Postcommunio. Prosit nobis domine quesumus beati bartholomei frequentata laudatio: eumque pro nobis orare in augmento sentiamus virtutum. Per.

[From 43.]

Missa de sancto Gregorio pro defunctis.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus: qui nos beati gregorii confessoris tui atque pontificis commemoratione letificas: concede propitius: vt qui eius precibus et meritis defunctorum animas a suppliciis misericorditer liberasti, libera quesumus eiusdem piis suffragiis animam famuli tui .N. a tormentis eternis: ereptamque celestium bonorum facias esse consortem. Per.

Secreta. Hostias tibi domine beati gregorii confessoris tui atque pontificis meritis dicatas benignus assume, et ad perpetuum anime famuli tui .N. tribue prouenire subsidium. Per dominum.

Postcommunio. Refecti participatione muneris sacri: quesumus domine deus noster: vt per intercessionem sancti pontificis tui gregorii: anima famuli tui .N. pro qua tuam deprecamur clementiam penis omnibus segregata: sue salutis sentiat effectum. Per dominum etc.

[From 15. See also 30. 40. 58I. 60I. 61.]

[*Orationes de passione domini.*]

Nota quod iste tres orationes de passione composite fuerunt a papa innocentio .iij. qui dicentibus eas cum deuotione concessit multas indulgentias.

Oratio. Domine iesu christe fili dei viui qui pro redemptione nostra nasci et circuncidi voluisti, et a iudeis reprobari, a iuda osculo tradi, capi et ligari. et cum vinculis anne cayphe herodi pylato offerri, et coram eis illudi, colaphis alapis flagellis arundine cedi. facie velari et sputo conspui: spinis coronari: falsis quoque testibus accusari: iudicari: et vt agnus innocens tuam crucem ferendo ad victimam duci. clauis perforari, felle et aceto potari, atque in cruce morte turpissima condemnari, ac lancea vulnerari, tu per has sacratissimas penas ab omnibus peccatis et penis nos libera et per sanctam crucem tuam illuc perduc nos miseros peccatores quo perduxisti tecum crucifixum latronem sero penitentem. Qui viuis.

Secreta. Auxilientur nobis pie domine iesu christe omnes passiones tue: et defendant nos ab omni dolore et tristicia, ab omni periculorum miseria ab omni peccato et cordis immundicia, ab omni scandalo et infamia, a morbis malis anime et corporis, et a morte subitanea et improuisa: et ab omni persecutione inimicorum visibilium et inuisibilium. scimus enim quod in quacunque hora vel die passionis tue memoriam habuerimus salui erimus ideo de immensa tua pietate confisi, te deprecamur piissime saluator, per benignissimas sacratissimasque

passiones tuas, vt benigno nos protegas auxilio: et continua pietate ab omni malo nos conserues. Qui viuis.

Postcommunio. Domine deus de deo, lumen de lumine: qui humanum genus ex precepto patris patibulo crucis proprio sanguine redimere dignatus es: te suppliciter exoramus: vt non secundum peccata nostra facias nobis: sed secundum misericordiam tuam saluos nos fac indignos famulos tuos tu quoque exurge in adiutorium nostrum, et esto ibi turris fortitudinis et clypeus inexpugnabilis iustitie a facie tam corporalis quam incorporalis inimici, atque ab omni peccato et pena misericorditer nos libera: et ab omni aduersitate corporis et anime clementer nos defende. Qui viuis.

[From 581.]

Missa ad proprium angelum custodem.

Introitus. Angelis suis deus mandauit de te: vt custodiant te in omnibus viis tuis. *ps.* Qui habitat in adiutorio altissimi: in protectione dei celi commorabitur. ℣. Gloria. Gloria in excelsis deo.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus qui me licet indignum ad imaginem tuam creasti: et angelum tuum sanctum ad mei custodiam deputasti: da mihi seruo tuo illius ducatu et custodia, malorum omnium tam anime quam corporis pericula feliciter pertransire: et post huius vite curricula: ad gaudia sempiterna facias peruenire. Per.

Lectio libri Exodi. [xxiii. 20–23.] Hec dicit dominus deus: Ecce ego mittam angelum meum ... Precedetque et angelus meus.

Graduale. Laudate dominum deum nostrum qui non deseruit sperantes in se: et in me adimpleuit misericordiam suam. ℣. Uiuit autem ipse dominus quoniam custodiuit me angelus eius: et hinc euntem, et commorantem et reuertentem: et non permisit me dominus coinquinari. Halleluia, halleluia. ℣. Immittet angelus domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos: gustate et videte quoniam suauis est dominus: beatus vir qui sperat in eo, halleluia.

Sequentia sancti euangelii secundum mattheum. [xviii. 10–14.] In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis. Uidete ne contemnatis vnum ... ... pereat unus de pusillis istis.

Offertorium. Angeli sunt administratorii spiritus in ministerium missi: propter eos qui hereditatem capiunt salutis.

Secreta. Hostias tibi domine deferimus immolandas: que intercedente beato angelo custode, a tua nobis clementia deputato, temporali consolatione nos sic letificent: vt promissa citius speremus eterna. Per.

Communio. Super muros tuos hierusalem constitui custodes: tota die et nocte in perpetuum, dicit dominus.]

Postcommunio. Sentiamus domine quesumus tui perceptione sacramenti subsidium mentis et corporis: vt in vtroque saluati: interueniente beato angelo custode nostro: celestis remedii plenitudine gloriemur. per.

[From 58I. See also 60I. 61.]

Missa pro vnione ecclesie : eo tempore, quo Cardinales congregati sunt ad creandum nouum pontificem, ne fiat schisma.

Introitus. Saluos nos fac domine deus noster : et congrega nos de nationibus : vt confiteamur nomini sancto tuo : et gloriemur in laude tua. *℣.* Confitemini domino quoniam bonus : quoniam in seculum misericordia eius. Gloria.

Oratio. Deus qui errata corrigis : et dispersa congregas : et congregata conseruas : quesumus super populum christianum tue vnionis gratiam clementer infunde : vt diuisione reiecta : vero pastori ecclesie tue se vniens : tibi digne valeat famulari. Per.

Ad Ephesios. [iv. 1–7, 13–22.] Fratres. Obsecro vos, vt digne ambuletis vocatione ... ... donationis Christi : donec occurramus ... ... sicut est veritas in christo Iesu domino nostro.

Graduale. Ecce quam bonum, et quam iocundum habitare fratres in vnum. *℣.* Quoniam illic mandauit dominus benedictionem : et vitam vsque in seculum. Halleluia, halleluia. *℣.* Edificans hierusalem dominus: dispersiones Israelis congregabit. halleluia. *In tempore paschali secundum.* Halleluia. *℣.* Ego sum pastor bonus, et cognosco oues meas : et cognoscunt me mee, halleluia.

Infra septuagesimam tractus. Congregabo eos vndique dicit dominus: et faciam eos gentem vnam. *℣.* Non erunt vltra due gentes : nec diuidentur amplius in duo regna. *℣.* Unus erit omnibus imperans : pastor vnus omnium eorum. *℣.* Seruus meus princeps eorum : percutiam cum illis fedus pacis sempiternum.

Secundum Ioannem. 17. ca. [xvii. 11–23.] In illo tempore. Subleuatis Iesus occulis in celum : dixit. Pater sancte : serua eos ... ... vt sint consummati in vnum.

Offertorium. Det vobis deus idipsum sapere in alterutrum : vt vnanimes, vno ore, honorificetis deum nostrum.

Secreta. Munera hec pro vnione populi christiani tibi domine oblata sanctifica ; per que vnitatis et pacis in ecclesia tua nobis dona concede. Per dominum.

Communio. Unus panis et vnum corpus multi sumus : omnes qui de vno pane et de vno calice participamus.

Postcommunio. Hec tua domine sumpta sacra communio, sicut fidelium in te vnionem presignat : sic in tua ecclesia vnitatis quesumus operetur effectum. Per dominum.

[From 58I.]

Missa ad petendam pluuiam : potest etiam dici Missa litaniarum fol. 124 [*see above*, vol. i. p. 231.] *ad petendam et remouendam pluuiam.*

Introitus. Conuerte domine aliquantulum : et deprecare super seruos tuos. *℣.* Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem. Gloria patri.

Oratio. Deus in quo viuimus, mouemur, et sumus : pluuiam nobis tribue congruentem : vt presentibus auxilijs sufficienter adiuti : sempiterna fiducialius appetamus. Per dominum nostrum Iesum.

Lectio libri Paralipomenon. 2. C. 6. [26–27]. In diebus illis: Orauit Salomon ad dominum et ait. Domine deus, si clauso celo pluuia non fluerit . . . . quam dedisti nobis domine deus noster.

Graduale. Precinite domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara. *℣.* Qui operit celum nubibus: et parat terre pluuiam. Halleluia, halleluia. *℣.* Metuamus dominum qui dat nobis pluuiam temporaneam, et serotinam in tempore suo, halleluia.

Secundum Mattheum. Ca. 5. [44–45.]. In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Diligite inimicos vestros . . . pluit super iustos et iniustos.

Offertorium. Deprecabor dominum: et ad eum ponam eloquium meum: qui dat pluuiam super faciem terre: et irrigat aquis vniuersa.

Secreta. Oblatis domine placare muneribus: et opportunum nobis tribue pluuie sufficientis auxilium. Per.

Communio. Celi non possunt dare imbrem: nisi tu volueris domine.

Postcommunio. Tuere nos domine quesumus tua sancta sumentes: et ab omnibus propitius absolue peccatis. Per dominum.

[From 581.]

Missa pro serenitate.

Introitus. Uox domini super aquas: deus maiestatis intonuit: dominus super aquas multas. *ps.* Afferte domino filii dei: afferte domino gloriam et honorem. *℣.* Gloria patri.

Oratio. Ad te domine clamantes exaudi [*see above*, Vol. I. p. 471.]

Lectio Hieremie prophete. Tren. ca. 3. [49–57.] In diebus illis: Dixit Hieremias. Oculus meus afflictus est ... quando inuocaui te: domine deus meus.

Graduale. Exaudiat nos dominus in tempore tribulationis: protegat nos deus Iacob. *℣.* Mittat nobis auxilium de sancto: et de sion tueatur nos. Halleluia, halleluia. *℣.* Uiderunt te aque deus: viderunt te aque et timuerunt, halleluia.

Sequentia sancti euangelii secundum Mattheum. 26† c. [xvi. 1–4.] In illo tempore: Accesserunt ad Iesum pharisei ... Signa autem temporum non potestis.

Offertorium. Saluum me fac deus quoniam intrauerunt aque vsque ad animam meam.

Secreta. Preueniat nos quesumus domine [*see above*, Vol. I. p. 471.]

Communio. Exaudiat dominus orationes nostras: et reconcilietur nobis: nec nos deserat in tempore malo.

Postcommunio. Quesumus omnipotens deus clementiam. [*See above*, Vol. I. p. 472.]

[From 581.]

Missa pro conseruandis fructibus terre.

Introitus. Uisita terram tuam domine, et inebria eam aquis: multiplica locupletare eam. *ps.* Germinet terra herbam virentem iuxta genus suum. *℣.* Gloria.

Oratio. Concede nobis domine omnes fructus terre: et semina cuncta subtus terram posita abundantia pluuiarum de celo visita: et intercedente beata dei genitrice Maria: ad maturitatem perducendo, conseruare digneris. Per dominum.

Lectio libri Deuteronomii. ca. 13† [xxviii. 9, 11, 12.] In diebus illis: Locutus est Moyses ad populum israel dicens. Si custodieris mandata ... operibus manuum tuarum.

Graduale. Saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris dicit dominus: et vocabo frumentum et multiplicabo illud: et non ponam in vos famem. ℣. Et multiplicabo fructum ligni et germina agri: vt non portetis vltra opprobrium famis in gentibus. ℣. Halleluia, halleluia. Noli timere terra, sed exulta et letare: quoniam magnificauit te dominus: vt fructum produceres populo tuo, hallelulia.

Euangelium. In illo tempore dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Simile factum est regnum celorum. *in dominica quinta post epiphaniam.* [*See above*, Vol. I. p. 40.] Credo.

Offertorium. Exibit homo ad opus suum: et ad operationem suam vsque ad vesperam: dante te ei colliget: aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.

Secreta. Domine sancte, pater omnipotens, eterne deus: sub cuius imperio cuncta sunt posita: supplices te rogamus: vt omnes fructus terre ab omni aduersitate per hec munera que tibi offerimus custodire digneris: et in tempore maturitatis nos eos colligere permittas. Per dominum.

Communio. Implebuntur horrea frumento, et redundabunt torcularia oleo et vino: et reddam vobis annos, quos comedit locusta ait dominus omnipotens.

Postcommunio. Sumpta quesumus domine sacra libatio celestis mysterii: ad prosperitatem omnium bonorum: que ad seruorum tuorum subsidium conducunt proficiat: et eos ab omni crimine exutos: ad celestem beatitudinem perducat. Per.

[From o5.]

Missa pro tribulatione.

Introitus. Salus populi ego sum dicit dominus: de quacunque tribulatione clamauerint ad me exaudiam eos: et ero illorum dominus in perpetuum. *ps.* Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram: in verba oris mei. ℣. Gloria.

Oratio. Deus qui non mortem [*see above*, Vol. I. p. 474].

Lectio hieremie prophete, ca. xiiij. [7–10.]

Si iniquitates nostre contenderint contra nos domine adiuua nos: quesumus fac propter nomen tuum . . . ne derelinquas nos domine deus noster.

Graduale. Propitius esto domine peccatis nostris: nequando dicant gentes vbi est deus eorum. ℣. Adiuua nos deus salutaris noster: et propter honorem nominis tui domine libera nos. Alleluia. ℣. Deus iudex fortis iustus et patiens nunquid irascetur per singulos dies.

Secundum ioannem, Cap. xvi. [20–23.] In illo tempore. Dixit iesus discipulis suis. Amen amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos . . . gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Offertorium. Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te veniat.

Secreta. Subueniat nobis quesumus [*see above*, Vol. I. p. 474].

Communio. Dico vobis gaudium est angelis dei super vno peccatore penitentiam agente.

Postcommunio. Tuere quesumus domine [*see above*, Vol. I. p. 474].

[From 581.]

Missa tempore tribulationis.

Introitus. Reminiscere miserationum tuarum domine : et misericordie tue que a seculo sunt : ne unquam dominentur nobis inimici nostri : libera nos deus israel ex omnibus angustiis nostris. *ps.* Ad te domine leuaui animam meam : deus meus in te confido non erubescam. ℣. Gloria patri.

Oratio. Deus qui contritorum non despicis gemitum et credentium in te non spernis affectum : intercedente beata semperque virgine Maria cum omnibus sanctis tuis : adesto [see above, Vol. I. p. 476].

Lectio libri Hester. ca. 13 [9–11, 15–17.] In diebus illis. Orauit mardocheus ad dominum dicens. Domine deus rex omnipotens . . . ora canentium te, domine deus noster.

Graduale. Exurge domine fer opem nobis, et libera nos propter nomen tuum. ℣. Deus auribus nostris audiuimus : patres nostri annunciaverunt nobis : opus quod operatus es in diebus eorum : et in diebus antiquis. ℣. Halleluia, halleluia. Ostende nobis domine misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis, halleluia.

Euangelium. Quis vestrum habebit amicum. [*See above*, Vol. I. p. 231.]

Offertorium. Deus tu conuersus viuificabis nos : et plebs tua letabitur in te : ostende nobis domine misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

Secreta. Deus qui tribulatos corde sanas et mestos actu letificas : ad hanc propitius hostiam quam tibi pro nostra tribulatione offerimus dignanter attende, et benignus accipe : discrimina nostra depelle : et miseriarum et angustiarum nostrarum amoue pressuram : vt exuti ab omnibus que patimur malis : in tuis semper mereamur exultare presidiis. Per dominum.

Communio. Redime nos deus Israel : ex omnibus angustiis nostris.

Postcommunio. Dimitte domine deus peccata nostra : et tribue nobis misericordiam tuam quam sacramenti celestis participatione exquirimus : et intercedente beata Maria semper virgine cum omnibus sanctis tuis : humilitatem nostram attende : vincula solue delicta dele : tribulationem inspice : aduersitatem repelle : effectumque petitionis nostre clementer largire. Per dominum.

[From 581.]

Missa in tempore belli.

Introitus. Reminiscere miserationum. [*See above*, p. 362.]

Oratio. Deus qui conteris bella: et impugnatores in te sperantium, potentie tue defensionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus misericordiam tuam: vt omnium inimicorum suorum feritate compressa: indefessa te gratiarum actione laudemus. Per dominum.

Lectio Hieremie prophete. C. 42 [2. 9–13].

In diebus illis. Accesserunt omnes principes bellatorum: dixeruntque ad Hieremiam prophetam. Ora pro nobis ad dominum deum tuum. Et factum est verbum domini ad Hieremiam. Vocauitque Ioannan filium Caree: et omnes principes bellatorum: et vniuersum populum a minimo vsque ad maximum: et dixit ad eos. Hec dicit dominus deus Israel. Ad quem misistis . . . faciam in terra vestra. Dicit dominus omnipotens.

Graduale. Tu es deus qui facis mirabilia solus: notam fecisti in gentibus virtutem tuam. ℣. Liberasti in brachio tuo populum tuum: filios Israel et Ioseph. Halleluia, halleluia. ℣. Eripe me de inimicis meis deus meus: et ab insurgentibus in me libera me, halleluia.

Sequentia sancti euangelii secundum Mattheum. ca. 24 [3–9.] In illo tempore: Accesserunt ad Iesum discipuli . . . initia sunt dolorum.

Offertorium. Populum humilem saluum facies domine: et oculos superborum humiliabis: quoniam quis deus preter te domine?

Secreta. Sacrificium domine quod immolamus [*see above*, Vol. I. p. 476].

Communio. Inclina aurem tuam: accelera vt eruas nos.

Postcommunio. Deus regnorum omnium regumque dominator: qui nos et percutiendo sanas, et ignoscendo conseruas: pretende nobis misericordiam tuam: vt tranquillitate pacis, tua potestate seruata: ad remedia correctionis vtamur. Per.

[From 581.]

Missa pro nauigantibus.

Introitus. Sacrificent domino sacrificium laudis: et annuncient opera eius in exultatione: qui descendunt mare in nauibus: facientes operationem in aquis multis. *ps.* Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius. ℣. Gloria patri.

Oratio. Omnipotens sempiterne deus: qui beatum Petrum apostolum super mare ambulantem ad te venire iussisti: intercedente beata et gloriosa semper virgine dei genitrice Maria, cum omnibus sanctis tuis: adesto famulis tuis super mare nauigantibus: et in tua misericordia confidentibus: vt ope misericordie tue adiuti: ad loca destinata: et ad salutis portum sine impedimento sani et incolumes valeant peruenire. Qui viuis.

Lectio Ione prophete. ca. 23.† [ii. 2–11.] In diebus illis. Orauit Ionas ad dominum deum ... reddam pro salute mea: domine deus meus.

Graduale. Exaudi me domine: quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. ℣. Ut non me demergat tempestas aque: neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum. Halleluia, halleluia. ℣. Statuit dominus procellam eius in auram, et siluerunt fluctus eius: et letati sunt quia siluerunt: et deduxit eos in portum voluntatis eorum, halleluia.

Tempore resurrectionis secundum. Halleluia. ℣. Surrexit christus et illuxit populo suo: quem redemit ipse sanguine suo.

Infra septuagesimam. Tractus. Uiderunt te aque deus viderunt te aque et timuerunt: et turbate sunt abyssi. ℣. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes. ℣. Etenim sagitte tue transeunt: vox tonitrui tui in rota. ℣. Illuxerunt coruscationes tue orbi terre: commota est, et contremuit terra. ℣. In mari via tua: et semite tue in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.

Secundum Marcum. ca. 4. [35–40.] In illo tempore: vna die cum sero esset factum ... ventus, et mare obediunt ei.

Offertorium. Dixit dominus: et stetit spiritus procelle: et exaltati sunt fluctus eius: et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eduxit eos.

Secreta. Suscipe domine preces et oblationes quas tibi offerimus pro famulis tuis supra mare nauigantibus: et presta: vt angelus tuus sanctus per omnem viam eis occurrat: qui in eundo et redeundo dux eis et comes mitissimus efficiatur. Per.

Communio. Laudent dominum celi et terra: mare, et omnia reptilia in eis: quoniam tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Postcommunio. Per huius domine sacramenti perceptionem: famulos tuos nauigantes: et in tua misericordia sperantes: ab omni periculo liberare digneris: adsit spiritus sanctus: qui eos sanos et incolumes custodiat: atque ad locum destinatum, et ad salutis portum cum gaudio et prosperitate faciat peruenire. Per. eiusdem.

[From 581.]

Missa pro preueniente diem sui obitus.

Introitus. Illumina occulos meos ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus preualui aduersus eum. *ps.* Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vite mee, a quo trepidabo? ℣. Gloria.

Oratio. Deus qui nos in omne tempus vigilare: et aduentum tuum cum timore expectare iussisti: famulam tuam de sua morte sollicitam propitius exaudi: et gratiam tuam quam† in hec semper perseueret infunde: vt cum eius extrema venerit dies: te, quem iustum iudicem pauet: in sententia sentiat benignum. Qui viuis et regnas.

Lectio libri sapientie. Ecclesiastici 14. [11–22.] Fili si habes benefac tecum ... honorabitur in illo.

Graduale. Quia non infernus confitebitur tibi, nec mors laudabit te: non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam: viuens viuens ipse confitebitur tibi: sicut et ego hodie: pater filiis notam faciet

veritatem tuam. *℣.* Non mortui laudabunt te domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui viuimus benedicimus domino, ex hoc nunc et vsque in seculum. *℣.* Halleluia, halleluia. Et vide si via iniquitatis in me est et deduc me in via eterna, halleluia.

Tractus. Hec recordatus sum: et effudi in me animam meam. *℣.* Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum dei.

Euangelium. Sint lumbi vestri precincti: et lucerne ardentes in manibus vestris, *quere in communi confessorum pontificum.* [*See above*, Vol. I. p. 435.]

Offertorium. Quasi morientes et ecce viuimus: vt castigati et non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes.

Secreta. Presentibus sacrificiis placatus: presta quesumus famule tue omnipotens deus: et castitatis zona lumbos precingere: et charitatis ardentem lucernam in manibus semper tenere: vt cum dies iudicii ipsius venerit: eam ab omni labe puram, et sancta etiam inuenias conuersatione splendentem. Qui viuis.

Communio. Et nunc magnificabitur Christus in corpore meo siue per vitam siue per mortem, mihi enim vivere Christus est et mori lucrum.

Postcommunio. Omnipotens et misericors deus qui eterne vite nobis aditum, filii tui temporali morte, quam hostia refert oblata, reserasti: da famule tue mortis sue diem his sacris preuenienti, ita mundo mori: vt sanctorum glorie particeps: tecum in celis perenniter viuere mereatur. Per eundem dominum.

[From 581.]

Missa ad postulandam aliquam gratiam a deo.

Introitus. Exaudiuit dominus de templo sancto vocem meam: et clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. *ps.* Intret oratio mea in conspectu tuo domine: inclina aurem tuam ad precem meam. *℣.* Gloria.

Oratio. Pretende domine famulo tuo dexteram celestis auxilii: vt te toto corde perquirat: et que digne postulat: consequi mereatur. Per.

Lectio libri regum. 3 Ca. 8. [28–30, 37–41.]

In diebus illis. Orauit rex Salomon ad dominum, flexis genibus: palmisque in celum leuatis ait. Respice ad orationem serui tui ... et cum exaudieris, propitius esto. Fames si oborta fuerit ... dedisti patribus nostris: domine deus noster.

Graduale. Aspice domine de sede sancta tua et cogita de nobis: inclina deus meus aurem tuam et audi: aperi oculos tuos: et vide afflictionem nostram. *℣.* Tu domine cui humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio: exaudi orationem seruorum tuorum. Halleluia, halleluia. *℣.* Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit dominus: in ea omnis qui petit accipit: et qui querit inuenit: et pulsanti aperietur, halleluia.

Aliud. Halleluia, halleluia. *℣.* Amen amen dico vobis: si quid petieritis patrem in nomine meo: dabit vobis: petite ergo et accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.

Tractus. Clamauerunt iusti, et dominus exaudiuit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta est dominus his qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu saluabit. Prope est dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet: et deprecationem eorum exaudiet: et saluos faciet eos, Reuela domino viam tuam: et spera in eo et ipse faciet: et dabit tibi petitiones cordis tui.

Euangelium. Quis vestrum habebit amicum. *Require in letaniis maioribus ante ascensionem.* [*See above*, Vol. I. p. 231.]

Offertorium. Hoc in templo summe deus: exoratus adueni: et clementi bonitate precum vota suscipe: largam benedictionem: hic infunde iugiter. Hic promereantur omnes, petita acquirere: et adepta possidere: cum sanctis perenniter: paradisum introire: translati in requiem.

Secreta. Propitiare domine supplicationibus nostris: et has oblationes quas tibi pro incolumitate ac gratia consequenda famuli tui, offerimus; benignus assume: et ne eius sit irritum votum: seu vacua postulatio: presta quesumus: vt quod pro eo fideliter petimus: efficaciter consequamur. Per.

Communio. Amen dico vobis: quicquid orantes petitis: credite et accipietis. *Alia.* Exaudiuit Dominus deprecationem meam: dominus orationem meam suscepit.

Postcommunio. Quesumus omnipotens deus: vt nobis famulis tuis in hoc loco, tuo sancto nomini dedicato, supplicantibus, aures tue pietatis accommodes: vt famulus tuus, pro quo gratiam ac tua beneficia postulauimus: cuncta se impetrasse letetur. Per.

[From 15. See also 30. 40.]

[*De trentenario sancti Gregorii.*]

Incipit trentenarium beati Gregorii pape. Quod quicunque dixerit vel dici fecerit, obtinebit plures annos et quadragenas indulgentiarum: per dominum Innocentium papam datarum. Et primo debet sacerdos qualibet die qua ipse est celebraturus inuocare gratiam spiritus sancti: et deinde dicere nocturnum illius diei. Deinde septem psalmos penitentiales cum precibus et sequentibus orationibus. Post vero quam celebrauerit: dicat vigilias mortuorum. Et hoc omni die cum magna deuotione: et suorum peccatorum confessione. Aliqui vero dicunt totum psalterium vsque ad psalmum. Dixit dominus *in vesperis de dominica. Et ieiunant omni die. Trentenarii huius in sancto sebastiano rome misse sunt iste sequentes.*

Prima missa dicti trentenarii debet esse de dominica prima aduentus.
Secunda de natiuitate domini.
Tertia de sancto stephano prothomartyre.
Quarta de sancto iohanne euangelista.
Quinta de innocentibus.
Sexta de epyphania.
Septima de octaua regum.
Octaua de purificatione beate marie virginis.

Nona de septuagesima.
Decima de dominica prima .xl.
Undecima missa de dominica secunda quadragesime.
Duodecima missa de dominica quarta quadragesime.
Decima tertia de annunciatione beate marie virginis.
Decima quarta de dominica in ramis palmarum.
Decima quinta de cena domini.
Decima sexta missa de resurrectione domini.
Decima septima de ascensione domini.
Decima octaua de festo pentecostes.
Decima nona de festo trinitatis.
Uigesima de dominica prima post pentecostes.†
Uigesima prima de dominica secunda post pentecostes.†
Uigesima secunda de sancto iohanne baptista.
Uigesima tertia de sanctis petro et paulo.
Uigesima quarta de sancta maria magdalena.
Uigesima quinta de sancto laurentio.
Uigesima sexta de assumptione beate marie virginis.
Uigesima septima de sancta cruce.
Uigesima octaua de sancto michaele.
Uigesima nona de sancto gregorio vel de omnibus sanctis.
Trigesima et ultima de mortuis.

Et in omnibus predictis missis sit secunda oratio pro defuncto vel pro defuncta.

Sequuntur orationes dicende omni die celebrata missa trentenarii secundum usum predicte Romane ecclesie.

Prima oratio. Omnipotens sempiterne deus mestorum consolatio: laborantium fortitudo. perueniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium: vt omnes in suis necessitatibus misericordiam tuam gaudeant affuisse. Per Christum.

Secunda oratio. Iesu nazarene respice ad tribulationes et necessitates nostras: et famuli tui .*N.* qui tribulatur vndique. Et precor te domine contrito et humili corde: et in spiritu humilitatis: vt exaudias me et eruas de periculo et tribulatione illum *vel* illam pro quo *vel* qua te inuoco: et ad te proclamo alpha et o.

Tertia oratio. Iesu benigne exaudi me pro famulo tuo .*N.* tu es enim pater omnium creaturarum: atque omnium in te credentium redemptor. Et sicut tu veram carnem de beata virgine maria accepisti: ita veraciter accipiam quod humiliter peto. et ipsum et me per omnia iuues rogo: quia tu es benedictus in secula: agyos inuisibilis deus per tuum nomen quod est sanctum et benedictum et admirabile: exaudi me: da mihi et famulo tuo .*N.* plenam remissionem omnium peccatorum. Qui in trinitate perfecta viuis et regnas.

[From 08. See also 15. 30. 40.]

[*De missis de gratia.*]

Infrascripte misse appellantur misse de gratia et sunt .xiij. Prima missa de aduentu domini sicut dicitur prima dominica aduentus sine.

Gloria in excelsis. *Secunda missa de natali domini* Puer natus. *Tertia missa de epiphania. Quarta missa de dominica .lxx. sine* Gloria in excelsis. *Quinta missa de dominica in ramis palmarum sine* Gloria in excelsis. *Sexta missa de feria .v. in cena domini sine.* Gloria in excelsis. *Septima missa de die pasce resurrectionis. Octaua missa de ascensione domini. Nona missa de die pentecostes. Decima missa de sanctissima trinitate. Undecima missa de beata virgine.* Salue sancta parens. *Duodecima missa de apostolis.* Mihi autem. *Tredecima missa de angelis.*

[From 15. See also 30. 40.]

[*De cantu Kyrie eleison.*]

Ob nonnullorum pascendam deuotionem: sequuntur quedam deuota verba super tono Kyrieleison *canenda, sed nullo modo sunt de ordinario seu vsu romano. Et primo super tono festi maioris duplicis.*

Kyrie fons bonitatis pater ingenite, a quo bona cuncta procedunt eleyson. Kyrie qui pati natum mundi pro crimine, ipsum vt saluaret misisti eleyson. Kyrie qui septiformis dans dona pneumate a quo celum terra replentur eleyson. Christe vnice dei patris genite quem de virgine nasciturum mundo mirifice sancti predixerunt prophete eleyson. Christe agie celi compos regie melos glorie, cui semper astat pro numine angelorum decantans apex eleyson. Christe celitus nostris assis precibus pronis mentibus quem in terris deuote colimus: ad te iesu clamantes eleyson. Kyrie spiritus alme coherens patri natoque vnius vsie consistendo fluens ab utroque eleyson. Kyrie qui baptizato, in iordanis vnda christo: effulgens specie columbina, apparuisti eleyson. Kyrie ignis diuine, pectora nostra succende: vt digni pariter proclamare, possimus semper eleyson.

Super tono festi minoris duplicis.

Cunctipotens genitor deus: omnicreator eleyson. Fons et origo boni pie luxque perennis eleyson. Saluificet pietas tua nos bone rector eleyson. Christe dei splendor virtus patrisque sophia eleyson. Plasmatis humani factor lapsi reparator eleyson. Ne tua damnetur iesu factura benigne eleyson. Amborum sacrum spiramen nexus amorque eleyson. Procedens fomes vite fons purificans vis eleison. Purgator culpe venie largitor optime. Offensas dele sacro nos munere reple. Spiritus alme eleyson.

Super tono dominicali.

Orbis factor rex eterne eleyson. Pietatis fons immense eleyson. Noxas omnes nostras pelle eleyson. Christe qui lux es mundi dator vite eleison. Arte lesos demonis intuere eleyson. Conseruans te credentes confirmansque eleyson. Patrem tuum teque flamen vtrorumque eleyson. Deum scimus vnum atque trinum esse: eleyson. Clemens nobis assis paraclyte: vt viuamus in te eleyson.

[From 60S.]

Res necessarie sacerdotibus in celebratione missarum ad hoc, vt vere conficiant sacramentum corporis, et sanguinis domini. Nota quod secundum sententiam doctorum, quando sacerdos accedit ad altare ad celebrandum accedere debet cum intentione conficiendi, et consecrandi corpus Christi iuxta constitutionem factam, et datam: per dominum nostrum Iesum Christum in vltima cena sua. id est. in die iouis sancti.† *Et si hoc forte ex imperitia non intelligeret, intelligat, seu intendat saltem facere, quod intendit facere sancta catholica ecclesia in ipso sacramento. Proferendo integraliter verba consecrationis super hostiam, et super calicem. Et si, dum accedit ad altare, ex obliuione non haberet antedictam intentionem conficiendi, vt predictum est: habeat ante consecrationem hostie, et calicis, vel saltem in ipsa consecratione cum prolatione verborum sacramentalium. Quoniam prolatio verborum ipsorum sine intentione conficiendi non conficit corpus Christi.*

[From 30. See also 40.]

CAUTELE MISSE.

Sequuntur informationes et cautele obseruande presbytero volenti diuina celebrare.

Prima cautela est: vt sacerdos missam celebraturus, conscientiam suam per puram confessionem optime preparet, sacramentum vehementer desideret et conficere intendat. Notulam de modo agendi officium memoriter et bene sciat. Gestus valde compositos ac deuotos habeat. Cum enim quilibet teneatur deum diligere ex toto corde. ex tota anima, et ex totis viribus suis: hic deum diligere non probatur qui in mensa altaris vbi rex regum et dominus omnium tractatur et sumitur: irreligiosus, indeuotus, impudicus, distractus, vagus, aut desidiosus apparuerit. Attendat igitur vnusquisque quod ad mensam magnam sedeat. Cogitet qualiter eum preparari oporteat. Sit cautus et circumspectus. Stet erectus non iacens in altari. Cubitos iungat lateribus. Manus mediocriter exaltet vt extremitates digitorum modicum circa humeros videantur: non tamen humeros excedant. Intellectum signis et verbis coaptet: quoniam magna latent in signis maiora in verbis, maxima in intentione. Tres digitos iungat quibus signa facit, reliquos duos in manu componat. Signa faciat directe non oblique: alte satis ne calicem euertat. Non circulos pro crucibus faciat. Cum vero inclinandum erit: non oblique sed directe ante altare toto curuatus corpore se inclinet.

Secunda est vt non putet vel opinetur sed certo sciat se debitas materias habere: hoc est panem triticeum, et vinum cum aqua modica. De vino et aqua sic poterit certificari. Exigat a ministro vt gustet tam vinum quam aquam. Ipse autem presbyter gustare non debet. Guttam fundat in manum, digito terat et odoret: sic erit certior. Non credat ampulle signate, non colori: quoniam sepius fallunt. Uideat calicem ne sit fractus. Consideret vinum: si est corruptum nullo modo celebret: si est acetosum, dissimulet. Si nimis aquosum, abstineat: nisi

sciat vinum aque preualere. Et in omni casu si contingat dubitari vel propter acedinem: vel propter mixturam: vel illimpiditatem vtrum possit confici: consulimus abstinere: quia in hoc sacramento nihil sub dubio est agendum, vbi certissime est dicendum. *Hoc est enim corpus meum.* Et *Hic est calix sanguinis mei.*

Item hostias oblatas conuenientes eligat, et vinum competenter infundat: quia hoc sacramentum debet sensibus deseruire: ad videndum tangendum et gustandum, vt sensus reficiatur ex specie: et intellectus ex re contenta foueatur. Aqua etiam in paruissima quantitate infundatur: vt a vino absorbeatur et saporem vini recipiat. Non est enim periculum quantumcunque modicum apponatur de aqua. Est autem periculum si multum. Apponitur etiam aqua solum ad significandum. Sed vna gutta tantum significat quantum mille. Ideo caueat sacerdos ne cum impetu infundat, ne nimis cadat.

Tertia est ut canonem morosius legat quam cetera. Et precipue ab illo loco. *Qui pridie quam pateretur accepit.* Tunc enim respirans attendere debet: et se totum colligere (si prius non potuit) singulis verbis intendens. Et dum dixerit. *Accipite et manducate ex hoc omnes.* respiret et vno spiritu tractim dicat. *Hoc est enim corpus meum.* Hic non immisceat se alia cogitatio. Non enim videtur esse rationabile discontinuare formam tam breuem, tam arduam, tam efficacem, cuius tota virtus dependet ab vltimo verbo scilicet meum quod in persona christi dicitur. Unde non debet cuilibet verbo punctus imponi: cum id nulla ratione valeat. vt dicatur. *Hoc. est. enim. corpus. meum.* Sed totum simul proferat. Pari modo hoc idem in forma consecrationis sanguinis obseruetur.

Item proferendo verba consecrationis circa quamlibet materiam: sacerdos semper intendat conficere id quod christus instituit, et ecclesia facit.

Quarta est vt si plures hostias habet consecrare: debet harum vnam eleuare, quam sibi deputauerat a principio ad missam. et teneat illam penes alias: ita quod intentionem ad omnes simul dirigat. Et signando et dicendo *Hoc est enim corpus meum.* omnes cogitet quas demonstrat: seu ante se habet.

Consulimus quoque vt canonem presbyter memoriter sciat: quia devotius dicitur. semper tamen liber habeatur, vt ad ipsum si necesse sit recurratur.

Quinta est vt sic moderate calicem sumat: ne propter impetum tussis inopinata occurrat: sed caute sumat: vt impedimentum non habeat Si vero plures hostias debet sumere vt quando hostia est renouanda primo sumat eam quam confecit et sanguinem: post hec alias que supersunt. Suam prius sumat quam alias quia de suis credit e scit: de aliis credit et nescit. Demum desuper ablutiones et non prius.

Sexta est vt paucorum nominibus se astringat in canone se memento: nec perpetuo sed quamdiu velit faciat: quando veli omittat: quia canon de multitudine nominum prolixatur, et per ho cogitatio distrahitur. Dignum tamen est vt pater, mater, frater, et soro ibi memorentur. Et si qui pro tempore commendantur et specialite

pro quibus missa celebratur. Non tamen ibi fiat vocalis expressio : sed mentalis. Et semper seruetur ordinarium misse : tam in dicendis quam in agendis et ceremoniis.

Septima est vt ante missam caueat lauando os vel dentes (quos de facto licitum est lauare) ne forte aque gustum cum saliua immittat. Et si forte a casu sacerdos lauando os, deglutiat stillam aque : potest celebrare secundum doctores nisi fecerit ex proposito. Concordat Ricardus in quarto : distinctione viii. Thomas vero dicit : verum nisi traijciatur in magna quantitate. His similiter concordat angelus de clauasio in summa sua. Post missam etiam caueat excreationes quantum potest, donec comederit et biberit : et hoc propter reuerentiam. Et etiam ne forte aliquid inter dentes remanserit in faucibus : quod excreando eijceretur.

Quamuis autem missa deuotissime sit celebranda contemplationis causa : est tamen modus habendus ne protractione nimia vel acceleratione fiat homo notabilis. Nam acceleratio signum est incurie. Protractio est occasio distractionis sibi et quandoque auditoribus : quos arguit Guillermus parisiensis in libro rhetorice diuine. Sed medio tutissimus ibit.

Eo autem affectu est quelibet missa habenda et dicenda a quocunque sacerdote : quasi prima dicatur, et nunquam amplius sit dicenda : tam magnum enim donum semper debet nouum.

Habeat itaque sacerdos diligentiam ad conficiendum. Reuerentiam ad tangendum. Et deuotionem ad sumendum. Sic sentiendo et agendo digne tractabitur sacramentum, rite peragetur officium atque pericula et scandala euitabuntur.

Item in collectis dicendis semper impar numerus obseruetur si commode fieri poterit : vel nisi ex ordinario aliter facere oporteret. Una propter vnitatem deitatis. Tres propter trinitatem personarum. Quinque propter quincupertitam passionem christi et plagarum eius. Septem propter septiformem gratiam spiritussancti. Septenarium numerum excedere non expedit, propter multorum obliuionem. Qui autem aliter facere voluerint in priuatis missis : vtique licitum est.

Item in missis defunctorum nulla oratio quam de defunctis dicitur : excepta oratione Omnipotens sempiterne deus qui viuorum dominaris simul et mortuorum. *eo quod etiam pro mortuis mentionem facit equaliter, et hoc in missa priuata.*

Item quandocunque oratio dirigitur solum ad patrem : in fine dicatur. Per dominum nostrum iesum christum. *Si vero dirigitur ad patrem, et mentio fit filii in ipsa : in fine dicatur.* Per eundem dominum nostrum iesum christum. *Si autem oratio dirigitur solum ad filium : in fine dicatur.* Qui cum deo patre et spiritu sancto viuis et regnas deus. per omnia secula seculorum. *Et si mentio spiritussancti in quacunque oratione fiat : in fine dicatur.* In vnitate eiusdem spiritussancti deus. per omnia secula seculorum. Amen.

Incipiunt quedam notabiles informationes et cautele seruande circa defectus vel casus qui oriri possunt et circa accidentia que possunt accidere in missa, et presertim circa consecrationem eucharistie.

Primo quid sit agendum cum sacerdos infirmatur.

In primis si sacerdos incipiat egrotare in altari post consecrationem taliter quod nec opus ceptum possit perficere: tunc si presens est alius sacerdos, et si egrotus potest indicare ubi dimiserit: ibidem alius debet incipere et perficere. Si vero non possit indicare: incipiat vbi ille per cetera signa creditur dimisisse. Si autem alius sacerdos non sit presens, expectetur in crastinum: et clericus secundum quod poterit indicet alii sacerdoti vbi debet incipere. Si autem per ministrum suum vel per quemcunque alium assistentem certificari non possit, et vbi sacerdos egrotans dimiserit penitus ignorauerit: tunc consecrationem repetat ac deuote perficiat: quoniam vt tradit auctoritas. Non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum.

Si sacerdos deficiat siue moriatur ante canonem: non est necesse vt alius missam compleat. Si tamen alius vult celebrare debet ab initio missam reincipere, et totum rite peragere.

Si autem in canone deficiat: factis iam aliquibus signis: tamen ante transsubstantiationem et consecrationem sacramenti: tunc alius sacerdos ab illo loco vbi ille dimisit debet reincipere: et tantum illud supplere quod omissum est.

Si autem sacerdos in actu consecrationis deficiat verbis aliquibus iam in parte prolatis, sed in toto non completis: secundum Innocentium alius sacerdos debet incipere ab illo loco. *Qui pridie.*

Si tamen sacerdos deficiat consecrato corpore, sed non sanguine: alius sacerdos compleat consecrationem sanguinis: incipiens ab illo loco. *Simili modo.*

Si consecrato corpore percipiat vinum non esse in calice: debet hostia munde reponi in corporali: et calice rite preparato, incipiat ab illo loco *Simili modo.*

Si ante consecrationem sanguinis percipiat aquam non esse in calice, debet statim apponere et conficere.

Si autem post consecrationem sanguinis percipiat quod aqua desit in calice: debet nihilominus procedere, nec debet miscere aquam cum sanguine: quia pro parte sequeretur corruptio sacramenti. debet tamen sacerdos dolere et puniri.

Si post consecrationem sanguinis percipiat quod vinum non fuerit positum, sed aqua tantum in calice: si quidem hoc percipit ante sumptionem corporis: debet aquam deponere, et imponere vinum cum aqua, et resumere consecrationem sanguinis ab illo loco. *Simili modo.*

Si percipiat hoc post sumptionem corporis: debet apponere de nouo aliam hostiam iterum cum sanguine consecrandam, secundum doctores in sacra pagina: debet autem resumere verba consecrationis ab illo loco. *Qui pridie.* In fine autem iterum debet sumere hostiam illam ultimo consecratam non obstante si prius sumpsit aquam et etiam illum sanguinem. Innocentius tamen dicit quod si ex prolongatione sacerdos timet scandalum: quod sufficiunt tantum illa verba per que consecratur sanguis, scilicet *Simili modo* et sic sumere sanguinem.

Item si per negligentiam euenerit quod perlecto canone et perfecta consecratione nec vinum nec aqua reperiatur in calice: debet statim

infundi vtrumque et sacerdos reiterabit consecrationem ab illo loco canonis, scilicet *Simili modo postquam cenatum est.* vsque ad finem, ita tamen quod suas duas cruces omittat que separatim fiunt super hostiam.

Quid autem faciat cum aquam sumpto corpore iam habet in ore : et iam primo sentit quod sit aqua : vtrum debeat eam deglutire : vel emittere. Require in summa Hostiensis in titulo de celebratione missarum. Tutius tamen est eam deglutire quam emittere : et hoc ideo ne aliqua particula corporis eum aqua exeat.

Item si sacerdos post consecrationem recordetur se non esse ieiunum vel commisisse aliquod mortale peccatum, vel esse excommunicatum : debet conteri : vel saltem hanc gratiam contritionis expetere, et nichilominus procedere cum proposito satisfaciendi, et absolutionem impetrandi.

Si autem anteconsecrationem recordeturpredictorum : tutius est missam inceptam deserere et absolutionem petere : nisi inde scandulum oriatur.

Item si musca, vel aranea, vel aliquid talium ante consecrationem in calicem ceciderit : vel etiam venenum immissum forte deprehenderit : vinum debet effundi quod est in calice, et abluto calice aliud vinum cum aqua poni ad consecrandum.

Sed si aliquod horum post consecrationem acciderit : debet musca vel aranea vel aliquid talium caute capi : et in alio calice diligenter inter digitos pluries lauari, et vermis comburi, et ablutio cum cineribus combustis in sacrario reponi : vel si sine horrore et abominatione fieri potest, sumatur a sacerdote. Sed si probabiliter timeretur quod species vini esset infecta veneno vel sacerdos sine vomitu vel horrore nimio sumere non auderet, comburatur ut supra : quia venenum nullo modo debet sumi : sed cum reliquiis debet sanguis talis cui venenum est immissum in vasculo mundo reseruari. Et ne sacramentum maneat imperfectum debet calicem denuo rite preparare : et resumere consecrationem sanguinis ab illo loco *Simili modo.* Et nota quod secundum doctores nihil abominabile sumi debet occasione huius sacramenti.

Item si sacerdos non recolit se dixisse aliquod horum quod debuit dicere : non debet mente turbari : non enim qui multa dicit semper recolit que dixit. Etiam si sibi pro certo constat quod aliqua omiserit : si talia non sunt de necessitate sacramenti (sicut sunt secreta vel aliqua verba canonis) vltra procedat, nec aliquid resumat. Si tamen probabiliter sibi constat quod omisit aliquid quod sit de necessitate sacramenti : sicut forma verborum per quam consecratur : omnia verba consecrationis super suam materiam resumere debet : qua† consecratio facta non esset : quod tamen non oportet : si que alia pretermissa essent. Coniunctio *enim* vel alia verba que precedunt vel sequuntur formam, non sunt de ipsius substantia.

Si autem sacerdos dubitaret an aliquod verbum pertinens ad substantiam forme omisisset vel non : nullatenus debet seruare formam conditionalem : sed (sine temeraria assertione) formam totam super suam propriam materiam debet resumere cum hac intentione, quod si consecratio esset facta : nullo modo vellet consecrare : sed si consecratio non esset facta, vellet corpus et sanguinem consecrare.

Item si quis tempore consecrationis ab actuali intentione et deuotione distractus fuerit, nichilominus consecrat: dummodo intentio habitualis et virtualis in eo remanserit: summo sacerdote scilicet christo supplente eius defectum.

Si autem per nimiam distractionem habitualis intentio cum actuali tolleretur (quod raro vel nunquam accidit) videtur quod deberet verba consecrationis cum actuali intentione resumere, sic tamen quod nollet consecrare si consecratio facta esset.

Item si hostia consecrata propter frigus vel alia de causa labitur sacerdoti in calicem, siue ante diuisionem hostie siue post: non debet eam de sanguine extrahere, nec aliquid propter hoc reiterare vel immutare circa celebrationem sacramenti: sed procedat in signis et in aliis acsi haberet eam in manibus.

Si eucharistia ad terram ceciderit: locus vbi iacuit radatur, et incineretur per ignem: et cinis iuxta altare recondatur.

Item si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit super tabulam que terre adheret: stilla per sacerdotem cum lingua lambatur, et locus tabule radatur, et rasura igni comburatur, et cinis iuxta altare cum reliquiis recondatur: et iuxta canones quadraginta diebus peniteat sacerdos cui hoc accidit: vel alias debite satisfaciat ad arbitrium confessoris prudentis. Si vero super altare stillauerit calix: sorbeatur stilla, et tribus diebus peniteat.

Si vero super linteum et ad secundum stilla peruenerit: quatuor diebus peniteat. Si vsque ad tertium: nouem diebus peniteat. Si vsque ad quartum stilla sanguinis peruenerit: viginti diebus peniteat, et linteamina que stilla tetigerit: tribus vicibus lauet sacerdos vel diaconus calice diligenter supposito, et ablutio cum reliquiis recondatur.

Item si quis aliquo casu gule eucharistiam euomuerit: vomitus ille debet incinerari, et cineres iuxta altare debent recondi. Et si fuerit clericus, monachus, presbyter, vel diaconus: xl. diebus peniteat, episcopus lxx. laicus xxx. Si vero ex infirmitate euomuerit .v. diebus peniteat: vel alias vt supra debite satisfaciat ad arbitrium confessoris.

Qui vero non bene custodit sacramentum: ita quod illud mus vel aliud animal comederit, quadraginta diebus peniteat.

Qui autem perdiderit illud: vel pars eius ceciderit, et non fuerit inuenta .xxx. diebus peniteat. Eadem penitentia videtur dignus sacerdos, per cuius negligentiam putrescunt hostie consecrate. Dictis autem diebus penitens debet ieiunare: et a communione et a celebratione abstinere. Pensatis tamen circumstantiis delicti et persone: potest minui vel augeri penitentia predicta, secundum arbitrium discreti confessoris. Hoc tamen tenendum est: quod vbicunque inueniuntur species sacramenti integre, reuerenter sumende sunt: quod si sine periculo fieri non potest sunt tunc pro reliquiis reseruande.

Item si hostia vel pars hostie inuenta fuerit sub palla vel corporali, et dubitatur si est consecrata vel non: debet eam post sumptionem sanguinis reuerenter sumere: vt in titulo de celebratione misse plenius inuenies.

Item si corpus domini infirmo datum propter infirmitatem siue per

aliam qualemcunque causam reijcitur : prout diligentius fieri poterit, recipiatur. Et si propter humanam fragilitatem non inuenitur qui reiectionem illam velit sumere, aut non possit : comburatur et combustio in sacrario reponatur. Idem fiat de eucharistia inueterata : ex concilio aureliano capitulo quinto. Omne sacrificium sordida vestustate perditum : igne comburendum est : et cinis iuxta altare condendus.

Item si corpus domini a muribus vel araneis consumptum ad nichilum deuenerit, siue multum corrosum fuerit : si integre† vermis in eo inuentus fuerit : comburatur. Si sine horrore residuum predicto modo corrosum sumi poterit : tutius est vt sumatur.

Similiter si quis statim post sumptionem passus fuerit nauseam (quamuis non in ventrem sed in mentem transeat cibus ille qui est cibus anime) tamen propter sacramenti reuerentiam si ibi aliqua pars eucharistie inueniatur : illa cum reuerentia sumatur et vomitus comburatur et puluis cum reliquiis reponatur.

Item circa materiam sanguinis vide ne sit agresta : vel vinum ita debile quod nullo modo habeat speciem vini. Ne sit aqua rubra expressa de panno intincto in vino rubeo. Ne sit acetum vel vinum omnino corruptam. Ne sit claretum vel vinum de moris aut malogranatis confectum : quia veram speciem vini non retinent.

Conficiens scienter et non coactus cum vino quod est in via corruptionis vel ad corruptionem tendens : grauissime peccat (licet conficiat) quoniam non retinet speciem vini.

Item cauendum est ne apponatur nisi modicum de aqua : quia si tantum poneretur quod speciem vini tolleret, non conficeretur.

Si ante transubstantiationem effusa fuerit pars vini aliqua : mutetur palla sub silentio : et sic celebrans officium prosequatur. Si totum effusum fuerit : mutatis linteaminibus ministret denuo et reincipiat ab *Hanc igitur oblationem.* premissa tamen confessione.

Si post transsubstantiationem effusa fuerit pars sanguinis : nichilominus celebrans officium prosequatur. Si totum, quod nichil omnino remanserit (quod est valde difficile) ponat super propitiatorium et ministret denuo panem et vinum et aquam : et reincipiat ab *Hanc igitur oblationem.* confessione premissa : et sumatur prima hostia a ministro, vel ab infirmo, vel ab alio ad hoc parato.

Si sanguis in calice congeletur : debet tamdiu exhalare desuper donec dissoluatur : vel prunas reuerenter apponere, aut etiam (si aliter non valeret) solidum transglutire.

Item si qua hic desunt requirantur in summa et lectura Hostiensis in titulo de celebratione missarum : vel melius in summis modernorum doctorum vtriusque iuris atque theologorum.

Speculum sacerdotum.

Ut autem tam celeberrimum tamque tremendum sacramentum digne ex parte ministri tractetur : ideo consequenter ponitur speculum sacerdotum missam celebrare volentium secundum sanctum Bonauenturam et alios deuotos doctores.

Primo ante missam habenda sunt tria. Intentionis discussio. Generalis contritio. Et pura confessio.

Intentionis discussio. Ne propter vanam gloriam celebret. Ne propter alicuius persone fauorem. Ne propter lucrum temporale. Ne propter consuetudinem.

Generalis contritio. De omissis que facere debuit. Et de commissis corde ore et opere.

Pura confessio. Notabilium criminum, notorum et ignotorum.

In missa sit Diligens circa locum : id est vt recipere possit vtrumque. Diligentior circa calicem ne sit fractus vel reparatus. Diligentissimus circa materiam : ne hostia sit corrupta : vinum acetosum : aut desit aqua.

In canone sit diligentia. Magna in signis : vt diligenter faciat. Maior in verbis : vt veraciter dicat. Maxima in intentione, vt firma fide consecrare intendat.

In consecratione habeat. Diligentiam ad conficiendum corpus christi. Reuerentiam ad tangendum. Deuotionem ad sumendum.

In tangendo corpus christi sit reuerentia. Magna propter continentiam tam excellentis corporis christi. Maior propter continentiam tam excellentis anime christi. Maxima propter continentiam tam excellentissime diuinitatis christi.

Quid in consecrando intendit facere. Deum per latriam colere. Mortem christi memorare. Totam ecclesiam adunare.

Quid in consecrando intendit consequi? Remissionem peccatorum. Uictoriam tentationum. Amotionem tribulationum. Atque augmentum dilectionis. Inseparabilitatem vnionis. Accelerationem fruitionis.

Sit humilis oratio in primo et secundo memento. Primo pro se. Ne tam indignus minister indigne recipiat tam dignissimum mysterium. Ne tam indeuotus presbyter tam iustissimum iudicem flectat in suum iudicium. Ne tam immundus hospes tam excellentissimum hospitem a se repellat fetore criminum. Et vt eum dominus piisimus participem faciat electorum sacerdotum.

Secundo in primo memento pro aliis viuis oret. Ut vna secum sint participes tanti mysterii. Auditores habiles missarum beneficii. Contemptores humiles vanitatum mundi. Satisfactores stabiles defectus proprii. Et sectatores vigiles diuini beneficii.

In secundo memento pro defunctis oret. Ut per suauissimum mysterium, habeant continuum subsidium. Ut per preces ecclesie fidelium habeant suaue a penis refrigerium. Ut per hoc nostrum diuinum viaticum habeant securum reditum ad sanctorum consortium.

Post missam sit summa gratiarum actio. De tanto pane suauissimo angelorum creatore creaturarum a creatura recepto. De tanto cibo perpetuo omnium sanctorum creatore creaturarum, a creatura recepto. De tanto viatico proficuo christi electorum creatore creaturarum, a creatura recepto.

Item post missam sit ad conseruandum solicitudo. Magna vt tecum esse gaudeat. Maior ut tecum semper maneat. Maxima ut secum ad celos prouehat, ad laudandum ipsum in secula seculorum. Amen.

Sed quoniam predictum speculum perspicuis ingeniis extat clarissimum, non sic autem simplicibus seu rudibus. Ideo sequitur simplex et practica preparatio a sacerdote ante missam fienda.

Sacerdos celebraturus, prius apud se penset que sit celebrandi intentio: vt non propter vanam gloriam lucrum consuetudinem aut verecundiam celebret. Sed intendat precipue latria deum colere: mortem christi seu passionem recolere: ecclesiam totam eiusque membra (quibus precipue magis obligatus est: et quibus indiget) iuuare. Intendat denique huius virtute sacramenti et sacrificii: se consecuturum peccatorum remissionem augmentum diuine dilectionis: sueque tandem assecutionem eterne saluationis: seu beatificationis.

Deinde iuxta scotum in questione penultima quotlibetorum mentaliter saltem recolligat personas et necessitates pro quibus vult in missa orare et dicat. Digneris domine ob meritum sacratissime passionis mortis resurrectionis et glorificationis tue: et in memoriam illius sacratissime oblationis qua teipsum pro nobis deo patri per sacratissimam passionem et mortem tuam in sacrificium perfectissimum obtulisti, oblationem istam specialiter acceptare: pro illis necessitatibus et personis pro quibus magis vis orari, et pro illis pro quibus nosti me specialiter offerre et orare teneri, et generaliter pro omnibus viuentibus: vt ad te perfecte conuertantur et voluntatem tuam adimpleant: et pro omnibus fidelibus defunctis.

Et tunc in speciali determinetur ad aliquem vel ad aliquos. Tutius tamen est quod stat sub hac conditione. Si tibi placeat. *Sufficit enim celebranti ante missam recolligere eos pro quibus vult orare: quia deus pro illis oblationem accipit pro quibus prius ordinauit se velle offerre.*

At vero vt sacerdos predictum finem seu fines consequatur apud se considerare debet huius mysterii veritatem: videlicet quid offeratur et quis recipiatur. Quid: considerando rei dignitatem, magnificentiam, immensam maiestatem, ac ineffabilem clementiam. Quis: quoniam hic sumitur verus deus, sanctus sanctorum, rex regum, et dominus dominantium: qui sua bonitate cuncta creauit. Et vt nostre redemptionis precium deo patri offerret: inestimabili pietate homo factus mortem crucis pertulit: seque sumendum hoc sacramento: in eius passionis memoriam: et hereditatis eterne pignus nobis instituit.

Denique consideret quis sit ipse qui sumere debet: quia creatura humana et rationalis spiritualibus omnibus quanto infirmior et infimior: tanto indignior. Si enim consideratio nostre prauitatis: ad timorem et reuerentiam respectu tante maiestatis animum inclinabit. Nam si ipsius clementiam bonitatem et sanctitatem attendamus: quo maior est dignatio sua quam dignitas nostra: eo ipso respectu tante bonitatis in amorem et deuotionem simul accendemur: vt et ibi simul sit cum fiducia timor non seruilis: sed cum humilitate amor filialis. Sicque in spem misericordie consequende erigemur: vt ab ipso auxilium secure postulemus: qui dicit. *Petite et accipietis: querite et inuenietis.* Quod maxime nobis in hac oblatione assequi credendum est: in qua sacerdos pro se et aliis veniam et gratiam desursum postulat.

Sed quoniam oranti non est satis diuinum affectare subsidium nisi proprium prius recognoscat defectum et delictum. Ideo missam (que est orationum precipua) debet precedere de omissis et commissis generalis confessio, contritio, atque saltem in proposito satisfactio.

Unde nouerit sacerdos quod si cum conscientia certa vel probabili peccati mortalis missam celebret: triplex ad minus mortale peccatum

incurrit. Primum. quia indignus presumit accedere. Secundum : quia indignus presumit tractare sacra : sacramque hostiam conficere. Tertium quia corpus christi et sanguinem indigne et ad iudicium sibi non formidat accipere.

Quapropter cum se ad missam celebrandam disposuerit : a mundanis et vanis operationibus et cogitationibus quantum potest abstineat : et se totum id est forefacta sua recolligat : et tunc adiens conscientiam suam forefacta sua manifestans ore proprio accuset.

Postquam iniunctam sibi penitentiam compleuerit legat sequentes preparationes ante missam dicendas secundum consuetudinem Romane curie.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina.

Gloria patri. Sicut erat *etc.*

Hymnus. Veni creator spiritus. Mentes ... ... credamus omni tempore.

Gloria patri domino natoque qui a mortuis surrexit : ac paraclito in seculorum secula. Amen.

Antiphona. Ne reminiscaris.

Ps. lxxxiii. Quam dilecta ... sperat in te. Gloria patri.

Ps. lxxxiiii. Benedixisti, domine ... gressus suos. Gloria patri. Sicut erat.

Ps. lxxxv. Inclina domine ... consolatus es me. Gloria patri. Sicut erat.

Ps. cxv. Credidi propter ... tui hierusalem. Gloria patri.

Ps. cxxix. De profundis clamaui ad te domine : domine exaudi, etc.

Antiphona. Ne reminiscaris domine delicta nostra vel parentum nostrorum : neque vindictam sumus de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison Kyrie eleison.

Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi domine miserere mei.

℟. Sana animam meam quia peccaui tibi.

℣. Conuertere domine vsquequo.

℟. Et deprecabilis esto super seruos tuos.

℣. Fiat misericordia tua domine super nos.

℟. Quemadmodum sperauimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur iustitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me domine.

℟. Et ab alienis parce seruo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Aures tue pietatis mitissime deus inclina precibus meis, et gratia sancti spiritus illumina cor meum : vt tuis mysteriis digne ministrare, teque eterna charitate diligere merear.

Deus cui omnis cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum : purifica per infusionem sancti spiritus cogitationes cordis mei : vt perfecte te diligere et digne laudare merear.

Ure igne sancti spiritus renes nostros et cor nostrum domine : vt tibi casto corpore seruiamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras quesumus domine paraclitus qui a te procedit illuminet, et inducat in omnem sicut tuus promisit filius veritatem.

Adsit nobis quesumus domine virtus spiritus sancti : que et corda nostra clementer expurget : et ab omnibus tueatur aduersis.

Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras quesumus domine visitando purifica : vt veniens iesus christus filius tuus dominus noster cum omnibus sanctis, paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Qui tecum viuit et regnat in vnitate spiritus sancti deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio sancti Ambrosii episcopi dicenda ante missam.

Summe sacerdos et vere pontifex. [*As in the modern Missal, without, however, being divided into sections.*]

Alia oratio multum deuota ante missam dicenda.

Summe sacerdos et vere pontifex, qui te obtulisti deo patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis, pro nobis miseris peccatoribus. Quique dedisti nobis carnem tuam ad manducandum et sanguinem ad bibendum : et posuisti illud mysterium in virtute spiritus tui, dicens. Hec quotienscunque feceritis, in mei memoriam facietis. Ego vero memor huius venerande passionis tue, confugio ad altare sanctum tuum (licet indignus peccator) vt tibi offeram sacrificium quod ipse instituisti et offerri precepisti in commemorationem tui et pro salute nostra : in quo caro tuo vera sumitur et tuus sanguis verus bibitur, summis ima, diuinis humanis coniunguntur. Sed quis ad hoc dignus esse potest, nisi tu omnipotens eum effeceris dignum? Certe scio et id bonitati tue confiteor quod non sum dignus ego propter nimia peccata mea et negligentias meas infinitas. Sed veraciter scio et credo quod tu potes facere de indignis dignos, et de immundis mundos, de iniustis iustos et sanctos. Propter hanc igitur omnipotentiam tuam et infirmitatem meam, per infinitam clementiam tuam et maximam malitiam meam te oro et obsecro : ut michi pauperrimo peccatori (quem inter cetera dona ad sacramentale officium dignatus es nullis meis meritis vocare : sed sola dignatione misericordie tue) concedere digneris hoc celeste sacrificium ministrare et celebrare ac tractare cum tanta reuerentia et honore, deuotione, et timore atque cordis puritate quibus decet. De ipsoque credere, intelligere, sentire, firmiter tenere, dicere, et cogitare quod tibi placet et anime mee expedit. Ita vt placide sacrificium de manibus meis suscipias ad salutem meam, amicorum et benefactorum meorum, et omnium tam viuorum quam defunctorum. Amen.

Alia oratio ante communionem.

Ad mensam dulcissimi conuiuii tui ... firmissima tuitio. Amen. [*See modern missal.*]

Oratio ad gloriosissimam virginem mariam ante communionem.

Sanctissima et incontaminata virgo maria, deprecor te per illud donum castitatis quo te deus eterni patris filius pre omnibus ditauit feminis, quod me miserum peccatorem et indignum famulum tuum vigilantem, dormientem, die noctuque piis precibus tuis defendere et liberare digneris a subitanea et improvisa morte, ab infestatione et illusione diabolica, atque in hora exitus mei ab eterna damnatione. Et si o benignissima et castissima virgo in aliquo delicto mortali vel veniali dilectum tuum filium creatorem et redemptorem meum offendi, auxiliare michi : quod eum tali penitentia et satisfactione possim querere : vt tandem merear sacramentum eius (quod quotidie presumo frequentare) digne ante exitum anime recipere, atque in celesti regno electis eius sociari. Qui viuit et regnat in secula seculorum. Amen.

Quicunque in statu gratie existens dixerit deuote septem orationes sequentes cum septem Pater noster *et septem* Aue maria *ante imaginem pietatis: lucrabitur quinquaginta sex milia annorum indulgentiarum: que a tribus summis pontificibus date leguntur: videlicet primo a beato Gregorio .xiiii. milia: secundo a papa Nicolao quinto xiiii. milia. anno domini. M.cccc.xlix. tertio a papa Sixto .iiii. qui has indulgentias duplicauit anno domini M.cccc.lxxviii. Et sic sunt in summa quinquaginta sex milia annorum. Et laici nescientes has orationes, dicant .xv.* Pater noster. *et xv.* Aue maria.

O Domine iesu christe adoro te in cruce pendentem : et coronam spineam in capite portantem. Deprecor te vt tua crux liberet me ab angelo percutiente. Amen. Pater noster. Aue.

O Domine iesu christe adoro te in cruce vulneratum : felle et aceto potatum. Deprecor te vt tua vulnera sint remedium anime mee. Amen. Pater noster. Aue.

O Domine iesu christe rogo te propter amaritudinem passionis tue quam pro me sustinuisti in cruce, maxime in illa hora quando anima tua nobilissima de benedicto corpore tuo est egressa : miserere anime mee in egressu suo. Amen. Pater noster. Aue maria.

O Domine iesu christe adoro te descendentem ad inferos : liberantemque captiuos. Deprecor te ne permittas me illuc introire. Amen. Pater noster. Aue maria.

O Domine iesu christe adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum. Deprecor te vt mors tua sit vita anime mee. Amen. Pater noster. Aue.

O Domine iesu christe adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem in celis et sedentem a dextris dei patris. Deprecor te miserere mei. Amen. Pater. Aue.

O Domine iesu christe pastor bone : iustos conserua : peccatores iustifica : et omnibus fidelibus miserere : et propitus esto michi peccatori. Amen. Pater noster. Aue.

Innocentius .viii. addens duas sequentes orationes, duplicauit indulgentias antedictas.

O amantissime domine sancte pater, ego offero tibi innocentem mortem dilectissimi filii tui domini nostri iesu christi, et amorem deifici

cordis sui: pro omni culpa et pena quam ego miserrimus omnium peccatorum maximus et nefandissimus peccatis meis merui: et pro omnibus charis meis viuis atque defunctis. Deprecor te miserere mei. Amen. Pater. Aue.

O Domine iesu christe fili dei viui: qui mysterium tue acerbissime passionis beato gregorio famulo tuo mirabiliter reuelasti: da michi miserrimo peccatori et omni beneficio indignissimo, illam consequi indulgentiam quam idem venerabilis antistes et sui sequaces sunt elargiti. Qui viuis et regnas cum deo patre in vnitate spiritus sancti deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio decima addita a papa Leone decimo: qui predictas indulgentias approbauit, et easdem duplicauit.

O Domine iesu christe adoro te ad iudicium progredientem, iustosque ad paradisum vocantem, et peccatores eternaliter damnantem. Deprecor te vt tua sanctissima passio liberet nos ab illis penis, et perducat ad vitam eternam. Amen. Pater noster. Aue maria.

Sanctus Gregorius in honorem quinque vulnerum christi composuisse fertur has salutationes, cum oratione dominica ad quamlibet dicenda: dans quingentos annos deuote legentibus.

Aue manus dextra christi: Perforata plaga tristi. Nos ad dextram iube sisti: Quos per dextram redemisti. Pater noster. Aue maria.

Aue palma iesu leua: Sic confixa plaga seua. Nos ab illa morte leua: Quam produxit mater eua. Pater noster. Aue maria.

Aue vulnus dextri pedis: Edem mentis pie ledis. Dum ad eam sepe redis: Esto nobis spes mercedis. Pater noster. Aue maria.

Aue plaga leue plante: Qua virtutum crescant plante. Nos ab hoste supplantante: Contuere post et ante. Pater noster. Aue maria.

Aue latus lanceatum: Unde fluxit flumen gratum. Prebe nobis conducatum: Ad eterne vite statum. Amen. Pater noster. Aue maria.

℣. Vulneratus est propter iniquitates nostras. ℟. Attritus est propter scelera nostra. Oremus.

Oratio. Concede quesumus omnipotens deus vt durissima vulnera dilectissimi filii tui domini nostri iesu christi cordibus nostris imprimantur, mentesque nostras illustrent: et in tuo sancto seruitio faciant amore feruentes. Per eundem dominum nostrum iesum christum filium tuum. Qui tecum viuit et regnat in vnitate spiritus sancti deus. Per.

[From 30.]

De Missa et partibus eius.

Sequitur nunc de missa. Et primo vnde exordium sumpserit: et quis eam auxerit.

Missam in primis dominus noster iesus christus sacerdos secundum ordinem melchisedech, instituit. ps. cix. quoniam ex pane et vino corpus sanguinemque suum confecit: et ob memoriam sui suis celebrare hec precepit. Mathei. xxvi. Hanc apostoli auxerunt: dum super panem et vinum verba que dominus dixit, et dominicam orationem dixerunt. De conse. dist. j. Iacobus. Deinde successores illorum epistolas et euangelia legi statuerunt. Alii cantum. Alii alia adiecerunt: qui decorem domus domini dilexerunt. xi. dist. Ecclesiasticarum.

Psalmos ad introitum misse Celestinus papa cantari instituit. De quibus Gregorius papa postea antiphonas ad introitum misse modulando composuit. Unde adhuc primus versus eiusdem psalmi ad introitum cantatur: qui olim totus cantabatur.

Gloria patri. Nicena synodus composuit: et sanctus Damasus ad missam cantari censuit.

